

Aaa. 10.
n. 17.

D. IO. SAL. SEMLERI
INSTITVTIO BREVIOR

AD
LIBERALEM ERVDITIONEM
THEOLOGICAM.

LIBER SECUNDVS.



HALAE,
SVMTIBVS IOANN. GODOFR. TRAMPE.

M D CC LXVI.

DOMINI CONCILII SACRAE EMPERORIAE
INSTITUTIO BREVIOR

AD
MODICUM . ESTUDIONIM
THEOLOGICAM

LIBRE RECONTRACTUS



Я А Д А Н .
ИЗДАНО В СПБГУ 1992
г. в 500 экз.

PRAEFATIO.

Paruo libello verbosa praefatione non opus esse
videtur; nec eius indolem studiosius iam re-
censebo, cum lectores recentes atque non
quasi iam corruptos ad illum legendum accedere
malim. Per partes tantum consilio, quod sequi
institui, satisfacere possum; nec magno hiatu pro-
mittere plura audeo, quam successibus domesticis
confidere possum. Secundo hoc libro nondum ea
omnia complexus sum, quibus ego opus esse pu-
to, ad illud, quod mihi propositum est, conse-
quendum. Liberalis eruditio theologica non sta-
tim, et breuissimo quasi ministerio, aut describi satis
potest, aut feliciter, per saltus et precipites gra-
dus, attingi. Igitur iam propius viam munire in-
cepi, atque ingenuum huius caussae amatorem stu-
diosius informare ad frugiferam theologicam eru-
ditionem; scio quibusdam partibus nec alios, bene
meritos viros, defuisse; atque istae quidem, ut
opinor, vix ansam dare poterunt sinistris quibus-
dam iudiciis. Est enim satis certum, quod ne-
gare liberalis eruditio fautor nemo poterit, va-
riis ministeriis atque adiumentis carere eum non
posse, qui theologicam doctrinam felicius compa-
rare sibi velit. De ipsis iam caput primam agit; atque
etsi, haud dubie, facile intelligi poterit, quae sit
mea sententia, vel ex minus copiosa tractatione,
tamen in scholis meis quaedam explicaui studiosius,
atque sic, ut videar non profecisse nihil ad quos-
dam bonae spei iuuenes, quibus et ipsis, ut Eras-
mianas scriptiones, aliasque eius generis, diligenter
maribus versarent, facile persuasi; eorum au-

DC

tem

PRAEFATIO.

tem in gratiam non opus est vel verbulum a me addi; adeo viam, quae sic monstrabatur, videntur recta pergere. Nam cui *Erasmi*, *Melanchthonis*, *Camerarii* nomina et scripta non sunt carissima; is, vti ego sentio, parum in eruditione liberali profecerit, licet aliorum commentaria et crassa corpora amare didicerit. Poterant autem multo plura a me et dici et librorum nomina multa recenseri hoc capite; nec tamen omissum aliquid in nostra breuitate puto ex illorum genere, quae utiliter et praeципue debebant commendari. Postquam sic quasi initiatuſ fuerit aliquis, iam cap. 2. de *interpretatione* sacrorum librorum exposui; breuiter, nec enim multis et plurimis ad bene informandum ingenium interpretis opus esse videtur; sed tamen exposui liberaliter. His qui voluerit se dare, atque fidere istis quasi lineis rudioribus, is facile plura alia ipse recte reperiet atque tentabit. Atque cum §. X. iam memoria repeto, non possum paucis verbis non reponere, ad quorundam siue molestam sedulitatem siue sollicitudinem. Erant, (quod non parum miror in hac bonarum litterarum luce contingere, vt suspicionibus vltro quidam darent operam, ne perfecto quidem meo libello,) qui fere publice mihi verterent vitio, quod de veteri testamento sic senserim, vt de Christo nihil inuenierim. Eos ego rogito, vt diligentius relegant primum librum; nempe pag. 28. scripsi his verbis, Inde prophetae illi celebriores, *minus*, quam alii olim, obscure de oecumenica Christi doctrina et prouincia, laeta omnia portenderunt, noui et melioris foederis, ex dei auctoritate, publici pro-

PRAEFATIO.

promissiores &c. Igitur quibus istae sententiae meae non sufficiunt, cum de iis hic publice admonui: nescio quid velint; de Christo enim ex V. T. dogmaticam πραγματειαν longam eo in loco instituere non licebat. Nisi quod quidam solent studiosius et non sine αυθαδειᾳ quadam, publice trepidare, si quis ea dicat aut proferat, quorum non primi fuerint auctores. Quod ibi patrum scriptiones breuiter tantum recensui, nec multa exscripsi, quae forte ipse obseruaui: breuitas sic tulit, et libelli consilium; in scholis autem nostris plura addimus. Nec vero ieunus est iste catalogus patrum, aut sua utilitate caret; si quidam fautores a nobis exspectarunt plura, gratias agimus; vituperium tamen non merebimur. Alios, qui me in Wetsteniana caussa, et de codicibus graecis N. T. arrogantius reprehendere voluerunt, et quasi contra inspirationem SS. aliquid monstri alam, sedulo portenderunt: omnino nec curo nec audio; qui enim ego efficere liberaliter queam, ut ne eius loci et ingenii homines, ecclesiae, si placent, quasi vindices et statores, (nec enim se tam facile, quam alios, contemnunt,) vanis sermonibus oculos et aures hominum, (eorum certe, qui sunt iis similes) impleant? Numquam ego adducar, ut istos rumusculos reueritus, a liberalibus studiis et operis secedam, et per istos suae rei et caussae auctores, theologiae ecclesiaeque vniuersae causam longe, quam per me, diligentius et verius agi statuam. Iстis enim hominibus quomodo aliquis possit sic satisfacere, ut suae prouinciae et publicae utilitati non multo turpius desit? Ienensum quarumdam sententiarum

PRAEFATIO.

fuit illa humanitas et venustas, vt me iam ad *Socinianos* ablegarint non obscure; iam ad *Indifferentias* addiderint, quia de ecclesiasticis quaestio-
nibus, licet longis istis, verbosis, cascis et ad nos
satis aridis, dixi sententiam liberalius. Iстis igitur
auctoribus licet, si quidem hac virtute et fortitudine
adeo pollent, defendere istas serjas nugas, (sic
iam *Constantinus* aliquoties reprehenderat *Alexandri*
et *Arii* inutiles quaestiones,) modo historiam ec-
clesiasticam ipsi didicerint longe, quam ego, accu-
ratius. Si enim faciunt idem, quod οἱ πόλλοι
fecerunt iam diu: noui adiumenti ad lucem ali-
quam atque ad utilitatem rei *christianaе* non plus
adferent, quam attulerunt seduli alii numero longo
scriptores. Corrigant autem atque emendent, si
adeo feliciter sapiunt, vt soli intelligent, me in
summo periculo versari; summatim atque vniuer-
sim me vellicantes et raptim tangentes, et si apud
imperitos et imbecillos aliquid inuidiae meae ad-
dunt, (quod praecipue quidam efficere volunt; ne
portenta desint plebi;) tamen ad rei sacrae emolu-
mentum promouendum nihil quicquam adferunt.
Ista, a me hic scribi, rogo, ne malam in partem
accipient aequi atque incorrupti adhuc causae no-
straе iudices; cum enim liberale ingenium maxime
sequar hoc in libello, multa et in hoc occurrunt,
quae talibus censoribus non minus displicebunt,
quam ea, quae libro primo dixi; hic itaque quasi
operae compendium facere visum fuit, atque bre-
viter ista reponere. Nam iis in posterum nihil
quicquam a me respondebitur, si vel maxime rei
atrocitatem multo, quam fecerunt adhuc, studio-
fius

PRAEFATIO.

suis confingant et seueris suis sententiis populum imperitum aduersus nos corrumpant. Fas autem non est, his temporibus ista graues viros agere, atque imitari ex romana ecclesia atque ex vetusta malignitate, lugubria et foeda eorum ministeria: qui ingenuam et liberam veritatem pati et ferre vltro non volunt. Hi enim *Lutheri* sunt amatores et prudentes imitatores? Sed nec seculo XVI. defuerunt academiarum in academias odia et improba studia; doctrinae integritatem enim interpretabantur, a maiorum sententiis et iudiciis ne latum quidem vnguem secedere; hac certe via non deest opportunitas colligendae ad imperitos auctoritatis, si inuidiosius statim fertur aduersus eos sententia, qui in veri promouendis studiis et subsidiis strenue et impigre suam collocant operam. Sed nec hac via academicorum iuuenum liberale ingenium excitat; nec religionis arx, quantumuis forti classico, eximie defenditur, si probam, quae adueniret, militiam, vltro et spernimus et repellimus.

Igitur Cap. III. de *Theologia dogmatica* collegi multa diligenter, atque oculis quasi subieci, praecepue ea, quae e libris dogmaticis seculi XVI. videbantur meo consilio conuenire. Effeci autem, ut opinor, hoc saltim: variis et dissimilibus successibus ad dogmaticam theologiam informandam accessisse longo numero scriptores; optimos vero quosque satis intellexisse, non uno quasi nisu et conatu hoc in genere studiorum ad culmen perfectio- nis posse perueniri. Itaque et *Lutherus* et *Melanchthon*, et alii, ab ea sententia, quam prius arripuerant, postea liberaliter recesserunt; interpretandi

PRAEFATIO.

facros libros subsidia, vt se obtulerunt, adhibita fuerunt; nec impedimenta vltro posuerunt boni vi-
ri bonis aliis ingenii, quo minus nouae et certio-
res interpretationes infirmas atque instabiles veteres
loco et gradu mouerent. Hic *Erasmus*, optime de
theologiae ingenio meliori meritus, negligi a me
non poterat; me tamen continui, ne verbosius atque
simul inuidiosius ista tractarem; dicere certe audeo,
Erasmum, quod ad interpretationem scripturae atti-
net, fere omnes vincere, in libris autem de *seruo*
arbitrio et in *Hyperaspiste Lutherum* ipsum non ra-
ro superare. *Melanchthonis* iam *locos* theologicos
recensui; etiam *Lamberti*, auenionensis, qui *Witte-bergae* docuit, iustum sententiam: de ineptis *gra-*
tiae diuisionibus; quae vna sententia ceteris diffi-
cillimis praceptiunculis longe est utileius. Non ne-
glexi *Zwinglii*, viri doctissimi et prudentissimi,
merita; nec *Romanorum* scriptiones potiores omni-
no praeterii; *Eckii* praecipue *Enchiridion* locorum
communium, quem in *A. Confessione et Apologia*
Melanchthon aliquoties tangit, sine nomine. Iam
symbolicorum inter nos *librorum* primordia recen-
senda fuerunt; atque hic pluriūn scriptiones rei
nostrae non inutiles attigi; quas inter pag. 123. etiam
Serueti; ibi non satis cohaerent, quae exstant, hoc
modo supplenda: (*Campani* studia, licet non scriptis
suis propagata;) *Ochini* ludicrae et in papatum
mordaces scriptiones; *Anabaptistarum* &c. *Agrip-*
pae declamationem simul repetii breuiter, nobis ad-
versus romanam foeditatem eximie olim utilem.
Itaque sententiarum dogmaticarum et libertas et
multitudo auxit; atque nec inter nos historiac
dogma-

PRAEFATIO.

dogmaticae argumentum rarum fuit; attigi igitur libros potiores, ut libere de iis sentio; *Wigandi et Iudicis συνταγμα* recensui; *Andreae Musculi Enchiridion*, et *Victorini Strigelii* lectiones in locos *Philippi*. *Romanis* ex auctoribus quaedam *Alberti Pighii* descripsi; quia is auctor inter eruditiores recensendus est, et *Andr. Fricii Modreuii* libros non nihil commendaui; scriptoris docti, grauis atque ingenui; licet postea eum *Sociniani* soleant sibi vindicare. Iстis postquam imbuti fuimus, occasionem et historiam *formulae concordiae* licuit haud paulo melius perspicere et caussam hanc omnem castius repetere; comparauimus praeterea et *Heerbrandi* compendium theolog. et *Heshusii* Examen theologicum et *Selnecceri* explicationem *examinis ordinandorum*. Ne vero deesset aliquid ex eo tempore, quod ad theologiae omnem caussam recte informandam pertineat, non solum *Socinianorum* res breuiter attigimus, *Socini* praecipue libros quosdam, e. c. de Seruatore Christo, contra *Couetum*; sed etiam *Iesuitarum* nouam militiam non omisimus. Nam *Sociniani* in multis capitibus romanae rei non parum detrimenti intulerunt, licet studiofissime etiam id egerint, ut *Helvetiis* et *Saxonics* nihil debere, eos potius in christianae vitae frugifera commendatione superare viderentur. *Iesuitae* autem aduersus omnes romanae ecclesiae censores caussam vltro agere instituerunt, Papae, si fieri queat, atque romanae ecclesiae aliquam siue auctoritatem siue fidem defendere ausi.

Non dubito aequos caussae arbitros facile hoc mihi datus, me hac via opportunam occasionem

PRAEFATIO.

mihi fecisse, de ipsa dogmaticae provinciae quasi arce multa obseruandi, quae solent a multis, nisi a plerisque, et ignorari et negligi; ab istius seculi autem barbarie, qua solebant Romani aduersus bonas et liberales mentes atrocissime uti, deriuare audeo ingenuum christianaे mentis et proprium sensum: quo si recte impleantur academicorum iuuenium animi, non dubito, saluberrimos fructus ad omnes huius libelli partes facile extendi posse. Superest, ut breuius, quam hic licuit, percensem seculum 17; atque inde fructus quasi huius περιηγησεως colligam, tam ad nostrae aetatis dogmaticum corpusculum, quam ad polemicae scientiae iustum modum. Meliores libros simul opportuno loco designabo, et quaenam capita eruditionis theologicae aliis potiora atque utiliora videri queant. De historia ecclesiastica et patribus his in libris non agam; quia per selecta capita recensionem, scholis domesticis paratam, conscribo: qua, ut spero, non nihil lucis accedet quibusdam capitibus, qua adhuc fere carent. Adiicio canonum potiorum epitomen; et notitiam imperii non solum sed et ecclesiarum; forte et legum ecclesiasticarum superaddo. Hermeneuticae autem facultatis et primordia et ad nostram aetatem successus eo facilius colligere potero, postquam ex historia ecclesiastica et patrum, superiorumque theologorum commentariis causae veram indolem paulo melius mihi obseruasse videor. Evidem, etsi aliquid perfecti et consummati, vel ingentibus meis studiis et laboribus, a mea tenuitate promitti non posse scio: facio tamen quod meum esse intelligo; atque, quia nihil sinistri mihi conscient sum, vel eruditissimorum virorum censuram et correctionem lubentissime expeto. Quibus igitur haec nostra mens non displicet, iis nec ista opera displicebit, si se intelligent per nos non nihil aut adiuuari aut excitari ad ingenuam theologicam eruditionem. Quibus autem patrum maiorumque sufficit παραδοσις, ii vtantur suo sensu, ut maxime volunt aut possunt; nobis etiam, si putant hoc ad christianaе rei iura pertinere, succenseant; dei certe sapientissima consuetudo etiam exigua nostra ministeria non omnino ad alios destituet. Dab. Halae, in Fridericana regia, d. 2. Octobr. 1766.

INSTI-





INSTITVTIO BREVIOR
AD
LIBERALEM ERVDITIONEM
THEOLOGICAM.

LIB. II.

CAP. I.

De variis ad eruditionem liberalem
theologicam ministeriis atque adiu-
mentis.

§. I.

Iam primum omnium iusta opus est *latinæ linguae cognitione* et consuetudine; non solum ^{Philolog}
eo, quod vtilissimi multi libri, quibus erudi-
tionis theologicae omnes partes eximie adiutan-
tur, inde a vetustis seculis ad nostra vsque tempora
exstant: sed etiam eam ob rem, quod earum re-
rum, quibus liberalis animus informatur, salubria
ministeria plurima latinorum auctorum scriptionibus
continentur. Nec illa dos atque vtilitas est sper-
nenda, quod multae exercitationes hac linguae la-
tinæ consuetudine occupantur, quibus carere fine
ingenti detrimento nequit, qui ad liberalem erudi-
tionem theologicam animum adiecit. *Philologi-*
cae illae et criticae exercitationes, quae ad latinos

latina et
graeca.

II. Lib.

A

grae.

2 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

graecosque scriptores vetustos (*classicos* auctores dicere solent) a scribarum vitiis repurgandos et recte interpretandos faciunt, longe facilius hic placent, et ad criticæ rei indolem percipiendam inuitant, quam si ex sacrorum *hebraicorum graecorumque* librorum minus copioso apparatu quis instrui atque informari ad ista studia velit, quae et *variantium lectionum* causam, et *hermeneuticae* facultatis ingenuum aliquem modum iam occupant. Breuem hic censum inibimus quorundam celebriorum auctorum huius generis; quod si vel aliquam consuetudinem quis cum illis inierit, sine negotio multorum aliorum notitiam sibi comparabit; longo autem ordine omnium inire numerum, aut ferre de cunctis sententiam, nostra illa breuitas iam non patitur. Paucis si quis vtatur, consilio huic sufficit; sed qui nullos vniquam huius generis libros oculis usurpauerit: is ad istam liberalem eruditio nem longe difficilius se emerget.

Nondum utimur iusta quadam *arte critica*, (licet *Clerici* corpusculum hoc nomine, non contemnendum sit;) quae *grammaticorum* olim fuit prouincia, emendationem exemplarium et *Ξερρηνῶν* scriptoris simul complexa; vtriusque post *Aristarchum* illum, graeci latinique Grammatici, *Rabbini* etiam (quod ad codicem hebraicum attinet,) *Arabes* que, (ad *Coranum*) curam aliquam gesserunt. Primam partem illam inde a seculo XVI multi sibi sumserunt in scriptoribus latinis et graecis, plures alteram; sed nisi coniuncta sit vtraque facultas, *ars critica* dici non potest. Transtulit autem *Erasmus* hanc artem criticam, (post *Origenis*, *Hesychii*, *Luciani* et *Hieronymi* non dissimilia studia,) primus ad sacros libros N. T. graecos et latinos, nullis

nullis fere aliorum praecepsis aut exemplis adiutus, (*Vallae* enim mediocria fuerunt ista rudimenta; *latinorum* autem *correctoria* liberali ingenio carent;) sed graecae et latinae linguae peritia eam in rem ipse bene usus. Scimus autem nec librarios christianos plane ab hoc negotio olim alienos fuisse. Liceat emendatione hic comprehendere etiam illam curam, de scriptis genuinis, non interpolatis; quam idem *Erasmus* satis diligenter iam isto tempore *patribus* impedit. Eius igitur nomen praecipue commendamus; *annotationes* illas in N. T. (quarum posteriores editiones primae multum praestant;) *Apologiae* pro suo N. T.; eius *epistolas*; eius *praefationes*; *dialogos* etiam, seu colloquia. *Guil. Budaei* commentarii vtriusque linguae, a tenuibus ineptiis alieni: Meliores quidam auctores ex iis, quos *Gruterus* in *face critica* coniunxit, sunt isti, *Angelus Politianus*, *Ianus Parrhasius*, *Franciscus Floridus*, *Petrus Nan-nius*, *Franc. Robortellus*; *Carol. Sigonius*, *Lilius Gyraldus*, *Ioh. Brodaeus*, *Petr. Pithoeus*, *Anton. Muretus*, *Paul. Leopardus*, *Guil. Canterus*, *Ludouic. Carrio*, *Ioach. Camerarius*, (cuius et *commentarii* graecae linguae, ad *Pollucis* partem, utilissimi sunt;) *Aldi Manutii*, (cuius notas ad *Ciceronem* amare hodieque fas est;). Supersunt alia nomina in isto studiorum genere celebria, *Brissonius*, *Anton. Augustinus*, *Fulv. Vrbinus*, *Seb. Corradus*, *Andr. Schottus*, *Henric. Stephanus*; *Nic. Loensis*, *Petr. Victorius*; *Scaligeri*; *Iustus Lipsius*, cuius scriptiones criticae salubris sunt ingenii; *Andr. Turnebus*, minus bonae frugis. Quod ad meliores *editiones* attinet, iam non opus est *Fabricii* bibliothecam lat-

4 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

tinam graecamque compilari; sufficiunt nostro consilio pauca nomina: Aldi, Iuntarum, Stephani, Hoeschelii; Sylburgii; Kühnii, Holstenii, Valesii, Rigaltii, Perizonii, Meursii, Is. Vossii; Gronouiorum, Heinssi, Casauboni, Graeuii, Hauercampii, Burmanni, Schreuelii, Salmasii, Spanhemii, Clerici, de Paw, Abresch, Kuſteri, Item Hemſterhuisii, Dukeri, Maasuicci, Almeloueenii, Drakenborch, Oudentorpii. Snakenborch, Arnzenii, van Staueren, Dukeri, Wasse, Bentleii, Potteri, Stanleii, Barnesii, Sam. Clarkii, Iebb, Johnson, Gale, Daniſii, Bryani, Hudsoni, Wellsii. Sed nec isto numero opus erat; nostrae autem aetatis meritissimos huius disciplinae statores, Gesnerum, Ernestium, et qui succrescerē videntur istorum fere alumni, ineptissimi homines sint, qui adhuc ignorent. Ex ista autem consuetudine addiscere licet multa, quae a plerisque ignorantur; quorum beneficio et Millius, et Bengelius et Wetſtenius N. T. graecum non parum iam emendare ausi sunt; pluribus autem adhuc opus est studiis hanc in rem, non ſolum ad N. T. graecum, ſed etiam ad *interpretes graecos* V. T. atque ad scriptores etiam ecclesiasticos. Imperite autem agit, Honoré de S. Marie, qui in *commentario, reflexions sur les regles et sur l'usage de la critique &c.* (Parifis 1713. 4. maius,) libere transferri ad *patrum* libros criticam artem vix patitur; Tillemontio, Bailletio, Simonio, Natali Alexandro, Rui narto, minus par aduersarius.

§. II.

Vtilitas praecipua. Insignes autem ſunt fructus et eximii, qui ex collocata in istos libros quosdam opera ad nos red eunt.

unt. Atque primo loco, iam quasi alio in orbe esse videmur; cum ex scholae subselliis plerique omnes fere ignavum tacdium colligere soleant, atque ad *Ciceronis*, *Liui* &c. nomen torperc, graecorum autem scriptorum libellos, quos vix negligenter attigerunt, indignabundi abiicere: iam succedit quasi alius sentiendi modus, et post infelices tenebras benignioris lucis radii emicabunt. Nempe isti longe meritissimi de sua actate viri, humanarumque rerum recto usu et ingenua scientia praestantissimi, non eo consilio et fato suos commentarios scripsérunt, vt pueri in scholis, inuenustiorum temporum, per plures annos *Ciceronis*, *Plutarchi* &c. caussa, miserum in modum vapulent, atque vel decem annorum post Θληψ cōtinuum, nullam tamen aut latinæ linguae, aut saluberrimarum rerum consuetudinem ipsis parent. Intelligemus potius ex istorum, quos iam §. I. commendabamus, scriptorum institutis, imperitos istos homines, qui scholis tam male praesunt, cum vitio creatos esse puerilis aetatis magistros, qui tam inuenuste *Ciceronis*, *Virgiliique* &c. libris praestantissimis abutuntur, vt vocularum malignitate suam auctoritatem ad alios ostentent. Observabimus igitur *seundo loco* et istud, rerum utilissimarum et humanae sapientiae saluberrimae ministeria ipsis ex libris graecis romanisque requirendæ esse; quæ res vel ipsa facile nos ita quasi manu ducet, vt definamus verbis et vocabulis eximium momentum tribuere, rebus recte reperiundis atque amandis præcipue studiosi. Itaque non solum alieni erimus ab istorum studiis, qui obscuram diligentiam contulerunt ad latina vocabula cogenda, et linguae latinae imbellem pulcritudinem consequendam, ipsi istarum rerum omnium plane expertes, quarum caussa *Ciceron* tam eleganteū orationis formam sibi adhiben-

6 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

dam esse statuit: sed etiam cauebimus istas inceptias, quibus videmus, etiam e Theologis atque sacris interpretibus, multos abductos exiguum vtilitatem ad rem publicam attulisse, qui vel vni voculae studiofissime adhaerent, quam aut sacris e libris excerptunt, aut ex *patrum*, ecclesiasticorumque aliorum scriptorum monumentis improbus arripuerunt; e vocula rem vltro magnam oecupantes. *Tum vero* haec res sic administrata etiam illud secum fert, vt, qui bonos scriptores graecos latinosque satis intelligit, imperite atque barbarico modo nec cogitare nec loqui velit; licet inuenustos istos scriptores non imitetur, qui, cum sint e grege et inferiori hominum ordine, atque de rebus longe aliis scribere volunt, *Ciceronis* tamen dicendi modum ineptissime imitantur. *Denique* cultissimorum ingeniorum ista monumenta atque exempla non solum recte de rebus iudicandi facultatem apud nos adiuuabunt, sed etiam ad iustum in intelligendo et commentando ordinem nos informabunt.

Seculo adhuc XVI longe peritius solebant autores latini graecique tractari; quam rem *Erasmus*, *Camerarius*, *Melanchthon*, *Chytraeus*, aliqui liberaliter adiuererunt, *partitionibus rhetoricae* repertis. E vetustioribus seculis super sunt *Grammatici* quidam et *Scholiaстae*, tam graeci, quam latini, quorum ministerio ista venustior tractatio non parum promoueri potest. In *Homerum* superest *Eustathii*, aepisc. Thesalonici, copiosissimum opus, praeter minora scholia *Didymi* et aliorum; habemus scholia in *Euripidem*, *Sophoclem*, *Aeschylum*, *Pindarum*; praestant autem fere ista in *Aristophanem*, et in *Apollonium*, *Rhodium*; nec negligenda sunt illa in *Theocritum*; item scholia in profaicos scripto-

scriptores, *Thucydidem*, *Demosthenem*, *Lucianum*; sed nec *Harpocrationis* lexicon X rhétorum, *Hesychii*, *Suidae*, spernendum, nec *Phanorini* lexicon; (vt Etymologicon illud μεγα non laudem;) nec *Phrynicus*, *Thomas Magister*, *Moeris*, atticista. Ex *Latinis*, praeter Sext. *Pompeium Festum*, (cuius iam vix miseris schedas atque Epitomen habemus,) *Nonium Marcelum*, et alios a *Dionysio Gothofredo* et *Putschio* iunctim editos grammaticos, praestant *Asconius Pedianus*, in quasdam Ciceronis orationes; *Seruius* in *Virgilium*; *Donatus* et *Eugraphius*, si placent, in *Terentium*; *Acro* in *Horatium*, *Lucretius* in *Statuum*; *Indices latini* &c.

Quod ad latinae linguae elegantiam attinet, et amoliendam scribendi loquendique barbariem, *Scaliger* de caussis linguae latinae, *Scioppii* grammatica philosophica, *Sanctii Minerua*, linguae rationem euolunt melius, quam grammatici e triuo solent; *Vallae* libri VI elegantiarum, *Erasmii* de copia verborum; *Manutii* et *Schori* phrases; *Cellarii* antibarbarus et curae posteriores; *Vauassoris* antibarbarus; *Vorstii* de latinitate merito et falso suspecta. *Kerii*, angli, et *Noltenii* lexicon antibarbarum, censum sere latini sermonis ineunt; de elegantiori latinitate comparanda scriptores selectos collegit amstelod. 1713. 4. *Richardus Kettel*; *Anton. Schorum*, *Hadrianum* Cardinalem; *Casp. Scioppium*; *Obertum Gifanium*; *Francisc. Vauassorem*; *Godesch. Stewechium*; *Horat. Tursellinum*; quam ad rem etiam faciunt *Olaï Borrichii* cogitationes de variis lat. linguae aetatibus, et meritis *Funcii* plures commentarii. De stilo quidem latino multi praeceperunt; ego vero theologiae eruditioni addictos nolim ablegare ad ali-

§ LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

os, quam vt *Erasmi* et *Melanchthonis* libros quosdam diligenter suis manibus versent; ex his facile haurient sermonis copiam, aptam coniunctionem, honestum et grauem distribuendi modum, rebus simul vtilissimis inde auctiores. Nec e *Chemnitii* scribendi genere, qui *Melanchthonem* imitatus est, licet non omnino eum referat, corruptio aut obscuritas stili metuenda est.

De vtilitate ex veterum scriptorum recta consuetudine percipienda, praeceperunt multi viri eruditii; quorumdam scriptiones dupli volumine coniunxit Thomas *Crenius*; de eruditione comparanda, in volumine Lugduni 1699. 4. Alterum volumen de Philologia, studiis liberalis doctrinae &c. habet tractatus Gu. *Budaei*, Th. *Campanellae*, Ioach. *Pastorii*; Io. Andr. *Bosii*, Io. *Schefferi*, et Petri Ang. *Bargaei*, Lugduni 1696. 4. prodierunt etiam *Amstelodami* 1645. in 12. plurium dissertationes de *studis instituendis*, *Hug. Grotii* epistola; *Gabrielis Naudaei* bibliographia politica; et Syntagma de studio liberali; Arn. *Clapmarii*, nobilis adolescentis triennium; ex Ioh. *Sturmio*; Christoph. *Coleri*; ex Ioh. *Caselli* New; Iacobi *Focani*; Ioach. *Fortii*; *Erasmi* Roterodami; Caspar. *Barlaei* methodus studiorum et morum; Thomae *Campanellae*; Leonardi *Aretini*, Casp. *Scioppii*, consultationes quatuor; Ludou. *Crocii*, de ratione studii theol. Ioh. *Loccenii*; Ioh. *Heurnii*; M. *Hortensi*; Seb. *Foxii* Morsilli; Petri *Angelii* *Bargaei*; Ioh. *Caselii*; Casp. *Scioppii*, de compendiosa linguam ebreaam et chald. discendi ratione; Ioh. Alb. *Bannii*. Videmur autem istis locis praecipua momenta frugifera obseruasse, ad quae animum attendere operae sit pretium.

§. III.



§. III.

Excitabitur autem per istam vetustiorum aucto-
rum consuetudinem liberale desiderium et studium,
etiam ea copiosius repetendi, quae ad *temporum*
antiquorum censum, ad *regionum* locorumque
situm, ad *consuetudinum*, *opinionumque* et de-
cretorum *historiam* pertinent; quia ignorato tem-
porum et locorum ordine parum aut nihil rebus ipsis
gestis moueri, nec prudentiae ministeria reste distin-
guere atque in rem nostram transferre possumus.
Atque eam ob rem solent boni isti scriptores fere
negligi ab imperitoribus, qui temporum locorumque
aut morum luce nulla inter legendum vti pos-
sunt. *Chronologiae* igitur iam exstat quasi iusta
disciplina, partim illa in mathematicorum prouinciam
redacta, technica; partim *historica*, quae gentium
singularum computandi rationem complectitur.
Inter graecos ante *Olympiades* certus temporum
designandorum modus vix adfuit, licet celeberrimis
quibusdam aut rebus gestis aut nominibus, vni fuerint.
Romani ab *urbe condita*, sed non sine va-
riete, numerarunt annos; consulum inde nominibus, (fastis consularibus) adinta est chronologia;
Alexandri res gestae et successores locum fecerunt
nouis Epochis inter *Syres*, *Tyrios*, *Aegyptios* &c., postquam ingentes *Affyriorum* et *Aegyptiorum* fabulae minus placuerunt, colligebantur
certe etiam *astronomicae* obseruationes. *Hebraei*
nec illud temporis intervalum, quod praecessit
Templi per Salomonem regem extractionem, nec
illud, quod inde effluxit, satis certo computo com-
prehenderunt; graeci autem *alexandrini* interpretes
plura secula ipsi adiecerunt ad illud tempus,
quod templum primum praecessit; mutarunt ulti-
etiam *Samaritani* eius temporis intervalum. In

Chronolo-
giae veteris
ratio.

10 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

Iosephi vero commentariis historicis, licet saepissime annorum numeros cogere soleat, interpolations scribarum satis incerta omnia fecerunt. Iam a Christianis haud paullo melius administrata est haec prouincia; licet plerique omnes sequentur longiorem annorum computum, quem LXX interpretes praeiuerant; christiani certe, (et quidem iam inde ab *Africano*) primi ad συγχρονιμες attenderunt, quam causam *Iosephus* in libris contra *Apionem* non parum illustrauerat, ut antiquitatem suae gentis historicam ceterarum gentium narrationes vincere demonstraret. Successit statim apud christianos veteres cyclorum paschalium usus, et epistolis paschalibus quotannis prodie solebat pascha; praeualuit tamen semper chronologia των LXX in colligendis annis mundi; (licet ex Origenis opere bibliico diuersitas computi hebraici et Samaritani facile pateret;) non solum apud Graecos, sed etiam apud latinos scriptores. Post aeram Diocletianam, seu martyrum, atque post aeram hispanicam, *Dionysius*, exiguis, tandem auctor fuit aerae christiana, seu a nato Christo; inde regum Francorum atque imperatorum vtriusque orbis anni colligendis rebus gestis adhibiti, item Romanorum pontificum nomina; indictionum etiam consuetudo vicit, quarum iam beneficio erroribus in computando minus loci erat. Tandem seculo 16. in colligendis a mundi conditione annis ad hebraicum computum redierunt christiani latini. Ex isto tempore eminuerunt *Scaligeri*, *Caluisiique* studia, quos multi imitati sunt; *Petauius* autem Scaligerum in multis reprehendit; *Pagi*, *Norisius*, *Vaillantius*, et alii eam temporis partem, quae Christo nato propior est, aeras certe singulares, eximie illustrarunt; *Vfferius* commodos annales congesit; *Whistonius* V. T. chronologiam hic ibi

non



non male et illustravit et mutauit. Atque hac in caussa et *vetus marmora et numi vetusti* multum lucis atque adiumenti praestiterunt; ut *Har-duni* ineptiis locus non fuerit. Succeruit autem et aliorum molestior sedulitas, qui *mysticam* aliquam numerorum rationem et propheticam quasi chronologiam, repererunt; quorum studia dome-sticis amatorum experimentis nituntur, historicis istius generis et firmis documentis destituta.

Praeter Scaligeri de *Emendatione temporum*, et *thesaurum temporum*, et Petavii opus illud ingens de *doctrina temporum*, pertinent hic illustrationes ad *marmor Parium*, inter *Arundeliana*; atque ad Canonem Ptole-maei; Gu. Lloyd series chronologica *Olympiadum*, *Pythiadum*, *Isthmiadum*, *Nemeadum*, (e Theatro Sheldoniano 1700. fol.) Io. Mars-hamii canon chronicus aegyptiacus, ebraicus, graecus, Lipsiae recusus 1676. 4. Iac. Peri-zonii Origines babylonicae et aegyptiacae, 1711. *Pagi* de periodo *graecoromana*; *Dodwellius* de veteribus graecorum et romanorum cyclis, (oxon. 1701. 4.) Ad chronologiam V. T. des *Vignoles* gallicum praeclarum opus edidit, in quo multa illustrantur vetustiorum fragmenta, quae in *Georgii Syncelli* chronicō fēnata sunt; Hic *Syncellus*, cum *chronico paschali*, seu alexandrino, (antiocheno forte potius,) et *Malela*, byzantinorum in corpore, ista antiqua tempora attingunt. Nec *Prideauxii* et *Schukfordii* commentarii historici sernendi sunt; *Spanhemii* *geographia*, *chronologia* et *historia sacra*; tom. 1. operum fol. *Vitriniae* hypo-typosis histor. et chronologiae saeculae; *Bezigelii* ordo temporum. *Mysticam* aliquam et propheticam

12 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

ticam chronologiam non pauci ad *Apocalypsin* sic transfulerunt, ut nouum *προφητειας* genus fere repererint, a quo, scimus satis certo, christianos interpres veteres plerosque abfuisse, qui *finem mundi* finitis 6000 annis instare crediderunt, chronologia illa των LXX abusi. Frid. Ad. *Lampe* in praefatione ad Io. Iac. *Hottingeri* pentadem dissertatt. biblico chronolog. Ultraiecti 1713. 8. de chronologia Sacra et eius scriptoribus egit; sed iam plures addendi erant. vid. *Fabricii bibliographia antiquar.* c. 7.

§. IV.

Geograp-
phia.

Quod ad *Geographiam* attinet, nec vetustiorum defuit diligentia post *Alexandri*, macedonis, res gestas; ex iis certe gentibus, quae aut commerciis aut bellis ad alias regiones inuisendas mouebantur. Longe magis autem vniuersa *geographia* non solum, sed et *topographia*, recentiorum continuis studiis illustrata est, inde a seculo XVI, licet nec per media illa secula omnino defuerint eius causae quaedam adiumenta (*tabulae Peutingeri*, *geographus Rauennas*, notitiae imperii &c.); vt iam non solum vniuersi terrarum orbis, qui olim hominum vestigiis non caruit, facile recenseri queat forma, sed etiam variae prouinciae et regiones singulae luculentis commentariis descriptae sint; quam in rem et *ecclesiastica* illa *geographia* non parum contulit. Ceterum cognovit etiam nostra aetas *nouum* aliquem *orbem*, *Americanum*, et *insulas* numero multas et tractu vastas; de quibus si forte quaedam exstitit olim suspicio aut cognitio, ad nostri temporis tamen lucem comparari non potest.

Veterem omnem *geographiane* optime illustravit Christoph. *Cellarius*; partes quasdam, de



de Pinedo, Holstenius, Iac. Gronouius, et Berkelius ad Stephanum de vrbibus; viri erudi ad Strabonem, (Almeloveenii editio fol. 1707.) Kuhnius ad Pausaniam; Eustathius ad Dionysium, Periegetam; minores scriptores veteris geographiae edidit Hudson volum. 4. in 8. Oxonii. Palmerius, Laurenbergius, Sophianus, Emmius, Vindingius, Graeciam; Ioh. Meursius Cretam, Cyprum, Rhodus, descriptit. Cluerus Italiam, Siciliam, &c. E numis multae illustrationes ad geographiam requirendae sunt; potiores auctores, qui numos explicarunt, Fabricius recensuit, in bibliographia c. 16.

Palaestinam Adr. Relandus optime explicauit supplementa addidit Harenbergius in miscellan. lipsiens.; Eusebii onomasticon vrbium, Bonfrerii, Martianaei, Clerici, Rhenferdii et aliorum studiis praecipue adjutum fuit; (exstant in Vgolini thesauro antiquitatum hebraicarum.) Bocharti Phaleg et Canaan, eximius commentarius. Ed. Wells geographia V. et N. T. Holstenii notae ad Caroli a S. Paulo geographiam sacram, 1704. Amstelod. in Schelstratenii appendice ad tom. 2. antiquit. eccles. illustratae habentur notitiae episcopatum; Antonini itinerarium, Hieroclis οὐενδηπος, (qui libellus cum notitiis etiam operi a S. Iosepho adiectus est;) Mich. le Quien oriens christianus; provinciale romanum, aliquoties excusum; notitiae galliarum, et Africae, a Sirmondo editae; Vfferii Asia Lydiana, proconsularis, et de septem ecclesiis metropoliticis; Frid. Spanhemii introd. ad geographiam christianam. Plures scriptiones ex Fabricii bibliographia antiquaria cap. 5 facile peti possunt.

§. V.

Antiquita-
es.

Antiquitatum nomine comprehendendi solent populorum vetustiorum varia per tempora et loca consuetudines, priuatae non solum publicaeque vi-
tae, sed etiam *religionis* et sacrorum; nec carere possumus harum rerum vel mediocri cognitione, si in rem nostram uti volumus vetustiorum scriptorum commentariis. Atque quo cultiores fuerunt gentes, eo et utilior esse solet istarum antiquitatum notitia, licet et istae superstitionem atque ingenium imperiae plebis occupent; barbarorum autem populorum fuerunt etiam barbarica instituta. Constat autem de eo, etiam inde a primis temporibus christianis non parum ex illis *των ἀρχών* institutis per aliquot secula partim haesisse in plebe, licet christiana rei antistites non laudarent; partim imitatione quadam et parua conuersione ad societatem christianam translatum fuisse. Dederunt igitur iam a seculo 16 operam litterarum inter nos instauratores, recen-
sendis et illustrandis antiquitatibus *graece*, *romani-
isque*, quorum in auctoribus utrisque extabant documenta aut vestigia; atque post mediocria illa rudimenta iam sat multa et magna commentaria exstant, quae repetendis et colligidis antiquitatibus *Hebraicis*, *Graecis*, *Romanis*, *Aegyptiacis*, *Perficiis* destinata sunt; postquam et felici sa-
to, et improbris studiis, itineribusque et impensis multis, insignis monumentorum fere iam pereuntium apparatus congestus atque a periculis et tenebris vindicatus est. Nec caremus eorum subsidiis, qui antiquitates *christianas* collegerunt, quarum quae-
dam cognitio, quod negari nequit, in legendis ec-
clesiasticis scriptoribus multum affert utilitatis. Fa-
cile autem fatemur, non deesse, qui iusto plus et studii et pretii tribuerint his vetustioribus rebus in-
telli-

telligentis, quae, si aliarum consuetudine et usui
caremus, quas nostra requirit aetas, solae et ipsae
vix mediocres fructus secum ferant. Sunt igitur
illae observationes praecipue eligenda, quibus ad
vetustiores libros, quibus carere non possumus, in-
genua lux adfertur; partim, ut istos latinos grae-
cosque scriptores facilius et certius intelligamus;
partim ut ea statim ad manum sint, quibus ad sacros
libros, hebraicos graecosque, opus est, ne balbutien-
tes aut inepte loquaces interpretes illiberali consue-
tudine ipsis sequamur; partim, ut de ecclesiasticae
societatis forma, quae varie olim habuit, senten-
tiam recte ferre discamus, nec diuinitatis et sancti-
tatis numine augeamus, quae humano more, (recte
an secus interpretatur,) constituta fuerunt.

Ex paganorum vita et consuetudinibus non
pauca non solum olim quasi tolerata esse, sed etiam ad christianorum usus transisse, facile patet,
si quis vetustiorum patrum libros vel leuiter lege-
rit; festorum dierum certe institutio imitata
fere est romanum calendarium; nec ignoratur
iusto forte maior ἐπεικεία atque συγκαταβούσις
eorum, qui a mediis seculis dicuntur gentium
fuisse apostoli. Rem facile fatentur vel romano-
rum sacrorum quidam antistites, *Baronius*,
Aringhius, *Edmundus Merillus*, Observation.
lib. 3 c. 2 (pleraque in militia ecclesiastica exem-
pli militiae romanae fuerunt instituta;) c. 3.
a manumissione ritus quidam translati ad baptismum;
Alteserra in dissertatt. iuris canonici li-
bris 4. (lib. 2. c. 2. Vicarium, officiale; nomen e civili militia ad sacram translatum, vt
pleraque alia;) aliquique. Multi protestantium
istos ritus paganicos in ecclesia Romana satis ex-
gitarunt, quibus praeiuit *Frankius* ille chroni-

16 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

cographus et alii sec. 16. Middletoni libellus ex anglico in nostram linguam translatus, de conformitate papistri et paganismi, multos post se relinquit. Non est autem dissimilis illa causa, de qua fuit vtrimeque disputatum, vtrum mosaicae caerimoniae et consuetudines ab Aegyptiorum istius temporis ritibus aliquid traxerint; hic qui rem omnino et plane negant, suo quidem iure vtuntur, sed irasci iure non possunt, si aliis contrarium videatur. Nec enim ignoramus οὐληγορεύδια Israëlitici populi, quem omnibus omnino statim exuere moribus et exercitiis, quibus a longo tempore adsueti fuerant, tam non fuit facile, quam Iudeochristianis persuadere, vt omne mosaicae legis paraturam statim abiicerent. Itaque, vt laundi, edendi, cubandi, vestiendi, obtinuit consuetudo, nec ista vitae externae informatio habet in se aliquid, quod ab animi emendatione abhorret, aut eam impedit: ita etiam plures consuetudines, si maxime iam in ea gente locum habuerunt, tunc deum publico quasi iure auctae sunt, cum Moses dei nomine ista tantum ministeria atque exercitia imperaret, qui et quaedam noua addidit, quod ad circumstantias attinet; pleraque autem omnia deum ipsum habere auctorem, argumentis historicis, quibus tamen hic opus est, confici vix poterit. Itaque, licet forte non pauci sint, qui assentiri huic scriptori per omnia nequeant, Spencerus tamen nihil odii aut conuicci meruit isto opere, de legibus hebraeorum ritualibus. Ητωχα ista τε κοσμος σοιχεια, vt Paulus nominat, numine et diuinitate vltro augere non licet.

Ceterum exstant iam ingentia corpora, thesaurorum nomine insignita; Jacobus Gronovius antiquitatum graecarum thesauro curauit,
tomis

tomis XII. *Io. Georg. Graeuius* thes. antiquitatum romanarum tomis XII; nouum thesaurum *Alb. Heinr. de Sallengre* coagit, tomis tribus; *Io. Polenus* autem supplementa ad vtrumque thesaurum concessit, tomis V. *Burmannus* vero thesaurum *Italiae et Siciliae*. Libellorum omnium recensio exstat in *Fabricii* bibliographia antiquaria cap. 2. 3. et alibi. Non opus est, exscribi hic nomina singula, aut istos etiam auctores, qui ad res *Aegyptiacas, persicas*, suam operam contulerunt. In noua bibliographiae editione etiam *Blasii Vgolini* thesaurus antiq. hebraicarum recensetur; opus informe, ingens, et sine censu fere coactum; pauci boni auctores huic caussae nobis sufficiunt, quos inter *Ioh. Selenus* maxime praestat; nec *Vitriniae, Rhenferdii, Lightfooti, Relandi, Drusii, Buxtorfii, Witsii, Danzii, Dassouii, Hafaei*, nomina honore et merito perpetuo carent. Potiores scriptores de antiquitatibus *christianis* recensentur in conspectu *thesauri* antiquitatum christianarum, Lipsiae, vt spes olim fuit, excudendi; quem facile intueri licet, cum sit in *Fabricii* bibliographiam insertus, cap. 4. ad finem.

§. VI.

Nemo dubitat, multum utilitatis et ad nos ipsos et ad eruditionis iustum indolem redire, ex cognitione rerum inter homines olim bene, male, feliciter, laudabiliter, aut minus honeste, gestarum, sive *historia; profanam* illam dicere solent, quae est gentium a Iudeis, christianisque seiuistarum; nec obstabimus magnopere, ne *historia in sacram profanamque diuidatur*, licet eadem res dici possit forte commodius, *historia gentium exte-*

II. Lib.

B

rarum,

De historiæ utilitate.

18 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

rarum, quae sunt extra Iudeorum Christianorumque societatem. *Sacram historiam* quidam illam dixerunt, quae *sacris Iudeorum Christianorumque libris* comprehenditur; sed nec illud nomen rebus omnibus satis conuenit, quae minimam certe partem aut sacrae ipsae sunt, aut sacra quadam et diuina ratione gestae sunt. Igitur quod ad *historiae* exterarum gentium attinet utilitatem, de eo facile constat, vel hebraicos istos sacros libros occupare non pauca atque attingere, de *chaldaicarum* rerum, *aegyptiacarum*, *Syriacarum*, *persicarum*, *Romanarum*, aliarumque gentium historiis; quas historiae paruas partes si tantum ex libris hebraicis velimus componere, ne modicum quidem exsisteret corpusculum. Atque hic illud est praecipue obseruandum, sufficisse vel tenuem istam commemorationem, hebraico populo, ista per tempora; opus autem non fuisse, ut accuratius cognoscerent istas gentes, a quarum consuetudine arrogantior ille populus fere omnino abhorrebat. Itaque, quibus alia sunt in manibus historica monumenta, hebraicas illas breues et tenues particulas non sic amare debent atque praeferre, *quasi deus historiarum fontem atque arcem hic offendere*, et parum auctoritatis insit commentariis vetustis aliis gentium aliarum. Ea mente etsi multi fuerunt, ratione tamen iusta hac in re vti non videntur: cum certum sit, hebraicos libros non eo consilio aut scriptos olim fuisse, aut suscepitos a Christianis, vt historiae gentium domesticae ex iis haurirentur, negligitis aut contemtis ceteris scriptoribus, qui e publicis, si qua superfuerunt, monumentis vetustiorum temporum, commentarios domesticos congeserunt. Videntur autem et illa historica, quae inde a Mosis libris inter hebraeos recensentur, non tam ad deum ipsum, qui cuncta reuelauerit quasi, aucto-

rem



rem referenda esse, quam vetustissimis quorumdam,
 (quos Patriarchas nominare solent, seu Hebraeorum maiores insigniores,) studiis priuatis deberi;
 vt ex variis sive publicis sive priuatis monumentis tandem in Mosis libros et ceteras historicas scriptiones collecta fuerint, atque sic ab obliuione vindicata, quia vetustissima illa historiae rudimenta a populi hebraici historia non erant omnino sciuncta. Ab ista antiquitate et breuitas illa in narrando deriuanda est, et singularium rerum paucitas. Itaque videmus *Iudeos Graecos*, qui extra Palaestinam, inter Aegyptios praecipue, commorabantur, non dubitasse, graecarum litterarum studiis, scriptoribusque et historicis et philosophis, multum impendendum esse operae; adeo, vt non defuerint, qui Iudeorum graecorumque usi nominibus historicos commentarios non paucos scripserint, quibus Hebraica vetustior historia et confirmari et illustrari videbatur; diligenter ea requirentes, quae ab *Aegyptiis, Chaldaeis, Phoenicibusque* et aliis historicis solebant prodi, vt supplementa quasi conscriberent eorum, quae hebraicis in libris hic ibi leuiter tantum attingebantur. Atque hac in caussa tam non egerunt timide, aut piaculum sunt subueriti graeci isti Iudei: vt potius facile ausi fuerint annorum illum computum, qui hebraicis in libris Mosis videbatur iusto minor atque angustior esse, liberalissime pluribus seculis auxerint; quod ideo a quibusdam creduntur fecisse, vt *Aegyptiorum et Chaldaeorum* longa per secula historias, si quis vellet, facilis cum Mosis libris coniungeret; nisi aliis etiam consiliis aut superstitione domestica ducti fuerunt exteri illi Iudei. Facile autem et illud intelligimus, ignorata fuisse ceterorum populorum domestica primordia etiam ab illis, qui longum seculorum ordinem audebant ostentare; vt nemo magnopere

20 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

pere admirari possit *Babylonios*, *Affyrios*, *Aegyptiosque* illos promissores; qui per incredibilem annorum numerum et caelestium corporum vices atque mutationes, et historiarum apud suos traditorum, prolixam ad exterros iactabant pompam, quorum quidam artium et scientiarum quarundam seminaria recte inter has gentes requirebant. Scimus etiam et *Africanum*, et *Eusebium*, *Panodorum*, aliosque non paucos scriptores, dedisse omnem operam, coniungendae historiae gentium exterarum et hebraicarum, ne apocryphis quidem libris contemtis, quorum haud dubie graeci Iudaei seu Alexandrini existiterant recentes auctores. Minus autem profuit ista multorum diligentia, qui tot *annorum*, qui ab exteris iactabantur, numerum sic contraxerunt, ut mutarint *annos in menses*, aut *hebdomadas*, aut *dies*; felicius haud dubie rem suam asturi, si tantum a certis et non dubiis temporum criteriis retro historiam recensebant, omissis interuallis dubiis, quae ultra Mosis tempora satis inuenuste ab Aegyptiis Chaldaisque fingi aut describi solebant. Cum enim mundi aeternitatem olim quidam philosophi occuparent, quam opinionem ab Aegyptiis Chaldaisque, ut multa alia decreta, accepisse videntur: facile patet, nihil effici, temere imminutis istis annorum numeris, quod nobis vel ulli usui esse possit. Nec accessit praecipua quadam lux ex istis componentiae aeternae chronologiae studiis ad hebraici computi confirmationem, qua nobis nec opus est. Qui enim deos, semideosque gestarum rerum auctores recensent, facile hac re ipsi ostendunt, hominum historiam, quae supra ista mediocria secula porrigitur, apud se nullis monumentis confirmari.

Fatentur plerique chronologi, ex hebraicis libris annales continuos, et temporis plenam recessio-

censionem non posse confici; quia hic ibi desunt annorum numeri expressi; et συγχρονοι satis rari designantur; de qua caussa ex chronologiae biblicae auctoribus plura facile addisci possunt. Attingimus hic paucis et illud, non defuisse e Rabbinis et Christianis vetustioribus, quos *Richard.* *Simonius* est secutus, qui statuere ausi sunt, suisse ex eorum censu, qui *prophetae* ab Hebreis dici, nomine non uno, solent quorum fuerit, populi *annales publicos* congerere, cuius generis libelli iam ante Mosis tempora quidam in Patriarcharum familiis exsisterint; itaque, qui hoc statuunt, vltro et illud dederint, qui historiae et chronologiae diligentius incumbere volebant, longe plura iam olim colligere recte solitos suisse, quam quae in libris hebraicis sunt descripta. Dicitur autem *spiritus dei* ab istis *senioribus*, quos Moses instituit, non suisse alienus; itaque *prophetarum* nomine et ipsi poterant insigniri; quemadmodum Moses et se ipsum *Nabi*, prophetam dixit et *Iosuam*, post ipsum. Itaque, quemadmodum *Cohen*, de Dauidis filiis dicitur, 2 Sam. 8, 18, pro quo nomine i Chronic. 18, 17 exstat, *harischonim*; et *Iethro*, Exod. 2, 16, *Cohen* Midian, pro quo in *Targum* exstat, *Raba*, princeps: sic etiam *Nabi* non praecipue eam prouinciam describat, quam solemus fingere, cum *Iesaiam* &c. cogitamus. *Gad*, aliquique commentarios publicos scripserunt, nempe, vt huic populo maxime conueniebant. Sed vel ipsi hi *prophetae*, quos posteriores Iudei nominant, futurarum licet rerum, *historiam* tamen scripserunt. Atque hinc forte etiam inter poetas exteros illud obtinuit, vt προφῆται dicerentur, quia de rebus olim non sine deorum numine immisto gestis commentari, atque de auertenda

22 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

deorum ira admonere solebant. De licentia των LXX in chronologia breuiter diximus iam lib. I. §. 12; de falsis autem alexandrinorum multis libris, §. 20. Ceterum vel graeci latinique scriptores distinguunt *mythicum tempus ab historicō*, quia illud caret rerum sic gestarum documentis iis, quae solent inter homines obseruari. Iam vero non opus est scriptorum omnium, qui historiam vetustam illustrant, inire numerum; cum facile ista peti possint, si quibus lubuerit, ex Vossii luculentis commentariis, de *historicis* graecis et latinis, (cum Sandii additionibus,) ex Hanckii similibus libris, de byzantinarum et romanarum rerum scriptoribus; ex Fabricii vtraque *bibliotheca*; atque ex *bibliotheca historicā Buderiana*. Nostro confilio sufficit, commendare primum omnium *Epitomen* historiae veteris, ut est *Cellarii*, *Ruperti* cum *Besoldo*, *Reckenbergii*; minoris enim momenti iam sunt qui de *quatuor orbis monarchiis*, *Sleidani* libros imitati, scripserunt. Porro legendus est unus et alter veterum historicorum, *Herodotus* praeципue, *Polybius*, *Liquii* pars, *Taciti* quidam libri; non iam ad maiorem historiarum lucem colligendam, sed ut scribendae historiae varius modus melius intelligatur; eniū rei comparatio non parum faciet, ad faciliorēm *sacrorum* historicorum usum. Solent enim hac in re multi iusto esse plus seduli et molesti, ut fere superstitione superent Iudeorum venustiores interpretes; eius rei cauſā exemplum satis luculentum adferam ex *Lamii* commentario in *Harmoniā* sive *concordiam* *quatuor Euangelistarum*; qui eximius liber vel solus sufficit, si *apparatus addatur chronologicus et geographicus*, liberis studiis, quae ad *chronologiam* et *geographiam*

graphiam sacram pertinent. Igitur *Lami* in *appendice ad commentarium p. 652.* descripsit istum locum R. *Iosephi*, hispani, in *Chronica ex Richardi Simonis libello, disquisitio critica de variis bibliorum editionibus;*) Videtur *Esdras* inuenisse descriptas familias compendiarior, easque descripsisse *eodem modo*, quo illas inuenierat - - Nec istud mirum videri debet; quia temporis multi successu, nomina et res mutantur. *Esdras* autem scripsit familias *eo modo*, quo eas reperit *in variis libellis*, paululum hic et paullulum alibi atque compendiarior. Ideoque familia, quam recenset, per saltum in plerisque locis et sine ordine describitur &c. Audeo pronuntiare, satis liberali ingenio esse auctorem, qui sic statuit; atque ex historiae, qua scribi solet, comparatione, multae difficultates facile in libris sacris solvantur; quas plerique quasi nomine plenas suspicere solent.

§. VII.

Vtilior autem ad theologicae liberalis Philosophiae eruditio
causam est cognitio paulo iustior et am-
plior *opinionum, decretorumque* illorum, quae
tandem *Philosophiae* nomine a longo iam tempore
comprehendi solet. Ausim dicere, hanc esse lon-
ge vtilissimam historiae partem, longa et continua
studia eruditorum hominum complexam; quae et
ipsa ad liberalem mentis humanae conformati-
onem, et eligendum frugiferum disciplinae modum, non pa-
rum faciat. Quod vero in ceterarum rerum pri-
mordiis locum habere solet, quae obscuritate fere
improba atque ignoratione involuntur: illud et
hic praecipue accidit, vt *Philosophiae* prima illa
quasi rudimenta atque ipsa tirocinia satis certo ex
historia reperiri atque colligi fere nequeant. Non
ae histori-
cae vtilitas.

est autem dubitandum, exstisisse iam, sub ipsa humana-
rum societatum primordia aliquod studium,
percipiendis iis rebus deditum, quae in sensu aut
omnino non cadunt, aut suas causas et rationes quasi
occultant; itaque non caret verosimilitudine, etiam
inter Patriarchas Israelitarum fuisse quosdam ar-
tium scientiarumque amatores, ut ista tempora fere-
bant; licet ineptissime a *Iudeis Christianisque*,
sub utroque sole, iam antiquitus recenseri soleant
et, si placet, describi, *Adami, Sethi, Abrahami*
aliorumque varii libri et commentarii *astrono-
mici &c.* Facile et illud est ad credendum, obti-
nuisse tantum inter paucos occultarum rerum illa stu-
dia, et vix per *symbola* subobscura cum aliis, qui
non inepti erant, fuisse communicata. Itaque
sacerdotum quasi propria fuisse perhibentur illarum
rerum studia atque exercitia, inter *Chaldaeos,*
Aegyptios, aliosque populos; apud istos certe et
Astronomiae et *Geometriae* aliarumque scientiarum
quasi seminaria fuerunt, etiam occultae cuius-
dam sive *Theologiae* sive *Magiae* sacra symbola;
quibus, eti non constat, veritatis praeceptionisque
certae comprehensa fuisse ministeria, negari tamen
non potest, et prudenti consilio et salubri mentis
exercitio illas *Graecos* non caruisse, quae, amato-
rum suorum animis certe facile imperium quasi in
corpus et sensuum officia sic reddiderunt, ut a ple-
bis et turpitudine et *destitutis* satis longo inter-
vallo absuerint. Fatentur igitur graeci scriptores
ipsi, praecipios apud ipsos philosophiae autores
(non sacerdotes ipsos, aut patriae religionis mini-
stros,) a *Barbaris* petuisse disciplinae fine primor-
dia; eos adiisse *Chaldaeos, Aegyptios, Phoeni-
ces, Magos*, atque *Gymnosophistas*. Inde de-
mum stabilem quasi locum et domicilium inter grae-
cos inuenierunt huius generis studia, per familias
varias

varias diuisa. *Thales, Milesius*, quia ex *Ionia* ipse oriundus fuit, Olympiade XXXI natus, e Septem graeciae sapientibus, Ionicæ *αιρεσεως* auctor fuit; cui discipulus *Anaximander*, huic *Anaximenes*, (Milesii) huic *Anaxagoras* successit, qui postremus *Athenis*, *Socratis* atque *Euripidis* praeceptor fuit; eius *διαδοχος* *Archelaus*, quem *Socrates* etiam audiuit. Inde *Italicae* sectae auctor *Pythagoras* fuit, quia in *Italiae* inferiori parte, Graccia magna, vixit; dicitur autem a *Thalete* adhuc persuasum ei fuisse, ut Aegyptum adiret; ex longa peregrinatione, (qua et ad Iudeos accessisse fertur,) tandem post *Pheracydis syrii* scholas, ipse *philosophiae*, quod nomen ab ipso repertum dicitur, auctor et stator, symbolico docendi genere usus, et vel *numerorum* ista disciplina atque *μετεμψυχωσεως* aenigmate satis celebris. *Eleatica* secta, a *Xenophanis* Colophonii discipulis, *Parmenone* et *Zenone*, Elea ortis, nomen habuit; *Zenonis* discipulus *Leucippus* fuit, *των ατομων* primus auctor, a quo *Democritus*, *Abderita*, (quem ἐνεστη celebravit) eruditus, haereditatem stultitiae, (vehementius ita *Lactantius* scripsit,) reliquit *Epicuro*; similiter tamen *Cicero*: *Democritus*, vir magnus in primis, cuius fontibus *Epicurus* hortulos suos irrigauit, quia cetera studia fere contempsit, praeter *physicam* et *ethicam*; *Lucretium* praecepue interpretem et laudatorem nactus. Iam vel unius a *Socratis* auditoribus diuisae plures sectae institutae fuerunt; 1) *Cyrenaica*, ab *Aristippo Cyrenaico* nominata, *ὑδονην* etiam dicta; diuisa a nouis magistris, (a *Theodoro*, quem *αθεον* dixerunt,) in *Theodoriam*; (ab *Hegesia*) in *Hegesiacam*; (ab *Anniceri*, qui *Platonem* redemit,) in *Anniceriam*. 2) *Eliaca* secta, a *Phaedone*, *Eliensi*; *Eretriacca* etiam dicta, a *Menedemo*, *Eretriaco*.

B 5

3) Me-

3) *Megarica*, ab *Euclide*, megarico, qui fuit alius ab isto mathematico; iidem etiam *dilectentiosi* et *egregiosi*, quorum alii *Zenonem*, Eleatem, auctorem facere solent; cuius commentariis hi forte iam maxime utebantur. 4) Veteris *academiae* auctor *Plato*, qui e plurium praceptorum et scriptorum vsu suam disciplinam conformauit, quam decem *dialogis* praincipie comprehendit, *idearum*, seu *specierum*, vt *Cicero* transtulit, et internarum formarum subobscurus interpres; de eius cum *Aristotele* consensu et veteres quidam et recentiores studiofissime tractarunt. Est autem id fere certum, eius philosophiam et *Gnosticos* cum Apostolorum scriptis in concordiam coegerisse, et plerosque Iudeos graecos, (*alexandrinos* certe) et christianos ex catholicis adamasse vetustioribus; aliis *Aristoteles* magis placuit. *Mediae academiae Arceſilaus* auctor fuit, quae dogmaticum modum fere plane abiecit, *epocheis* studiosa; *tertiae* seu *nouae* *academiae* auctor exstitit quartus ab *Arceſila*, *Carneades*, *Cyrenaeus*, *Keirneus* veri reperiri a nobis posse desperans, etsi dabat, aliquid aut verum esse aut falsum; sed omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse. Tribus academiis *Sextus Empiricus* narrat ab aliis *quartam* et *quintam* adhuc addi. Itaque, cum tam diuisa esset academicorum denominatio, maluerunt tandem alii *Platonici* audire, quos *juniiores* solent appellare, quia tempore ab antiquioribus fuerunt remoti. Qui erant cum *Aristotele*, *Peripatetici* dicti sunt, quia disputabant inambulantes (in Lyceo,) quod nomen etiam quidam *Platonicis* tribuerunt, (qui in academia ambularent). Ex *Platonis* auditoribus maxime eminuit *Aristoteles*, *Nicomachi* filius, qui *Amyntae*, Regis, patris *Philippi*, fuit medicus; inter primos eorum, qui clare et *σοφως* philosophati sunt, sine obscuritate verbo-

rum;

rum; optime suo tempore de ordine et methodo
 tractandi meritus, et *Platone* hand dubie superior,
 nisi quis illud respiciat, quod *Plato* de diuinis rebus
 videtur plura admisisse, aut adinuenisse. Duplicem
 disciplinam seruauit, ἐξωτερικην et ἐσωτερικην; hanc
 mane, istam vesperi fecutus. Dicuntur autem
 genuini eius libri fere πατακλειστα fuisse Βιβλιον,
 quos tandem librarii quaestus causa, licet minus inte-
 gros, satis male ad alios transmiserunt; et si ipse fuit
 maxime φιλοβιβλος (eius bibliothecam natus est
Theophrastus, discipulus) et erigendae aegyptiae bi-
 bliothecae auctor. Facile postea vicit haec disciplina,
 ab interpretibus celeberrimis adiuta graecis, ab
Alexandro, aphrod. *Themistio*, *Syriano*, *Olym-*
piodoro, *Proclo*, *Ioh. Philopono*, *Simplicio*,
Ammonio aliisque; inter Arabes *Aben Roschd*,
 (Anerroes) in Hispania sec. 12. celebris fuit inter-
 pres, *arabicis* tamen tantum translationibus usus.
Latinas autem translationes tam ex *arabico* quam
 ex *graeco* Aristotelis textu *Scholaſtici* varie adhi-
 buerunt. Ex *Socratis* discipulis, *Antisthenes*,
 atheniens. *Cynicae* familiae auctor fuit, nomen aut
 a templo, (κυνοσαργες) aut ex eo haesit, quod iis
 non decesset παρεγονος, atque praefuerunt ei disci-
 plinae quidam insignes viri, licet *Diogenes* fere in
 contemnitam eam adduxerit; ex ipsis *Demetrius* fuit,
Apollonii etiam auditor, quem *Seneca*, (nec enim
 dogmata erant a *Stoicis* aliena, licet vitae modus
 durior,) saepius collaudat. *Stoicae* sectae auctor
 exstitit *Zeno*, cithicus; qui in celeberrima σοφιᾳ
 ποιηση illa, aut Πεισιανωντειω, docuit; eorum
 Athenis etiam commorantium fit in *Actis* Aposto-
 lorum mentio. Traxit autem *Zeno* non pauca a
Polemone, et a *Cratete*, cynico, cuius utriusque
 familiae (academicae veteris, et cynicae) primi
 statores *Socratis* fuerunt auditores; scripserat tamen
 etiam

etiam *Antiochus*, Varronis praeceptor, de concordia *Stoicorum* et *Peripateticorum*, cuius hoc institutum tamen *Cicero* iam reprehendit. Mundum *Stoici* a deo videntur non magis distinguere, quam animam a corpore, spiritum ita per mundum diffundentes, ut sit vniuersum animatum, quia rerum corporearum species omnes pro sua ratione sunt illius spiritus participes. *Ethica* autem disciplina non solum *Romanis* multis (etiam *M. Antonino*) sed etiam christianis olim eximie placuit, quemadmodum *Platonica* in theologiae theoreticae conformatiōnē fuit a multis adhibita. Ex *Alexandri* fere aula prodiisse videri potest *Scepticorum* disciplina; eum enim *Anaxarchus*, Abderites, in Indiam comitatus fuit, adque hunc *Pyrro*, a cuius etiam nomine secta solet designari, etiam ἐφεκτικη appellata, qui nihil definire audebat, quia παντι λογωτος λογος αὐτικεια, nec in moralibus aliquid esse μαλλον τρετο η ἔκενο. Tandem, post initia Romanæ monarchiae succēsſit *Eligentium* familia, eclectica secta, eorum, qui ex omnibus αἱρεσεσι eligebant τα ἀρεονοντα; tempus designat *Laertius*, ἐτι de προ ὁλιγε (sub Augustum) και ἐλεκτικη της εἰσηχθη, ὑπο Ποταμων, τη Αλεξανδρεως &c. quod institutum tamen videntur et alii iam secuti fuisse, licet non in publica schola; atque ita *Clemens*, alexandrinus: τρετο συμπαν, το ἐκλεκτικον, Φιλοσοφιαν φημι, nec abhorret a christiano ingenio. Nos enim nec *Paulli* esse nec *Cephae*, nec huic nec illi magistro vnius quasi familiae, deditos esse *Paulus* praecepit: omnia requirenda esse, bona et καλα, apud quoscumque reperiantur, arripienda esse.

Breuiſſime recensiūmus Philosophiae *historiam*; amplior harum rerum copia colligitur facile ex vetustioribus quibusdam, et recentioribus
com-

commentariis. Iftius generis, qui historiae quasi corpusculum congeffit, folus fere superest *Dio- genes*, *Laertius*, cuius praefantissimam utilif- simamque huic consilio editionem curauit *Mena- gius*; sed nec *Ciceronis* libelli philosophici, nec *Augustini* commentarii de ciuitate dei, sunt negligendi; non pauca etiam *Clemens*, alex. *Eusebius* Caesär. in *Praeparatione Euangelica*, congefferunt, quibus non sine multo commodo vti licet. Fuerunt etiam non pauci e veteribus latinis graecisque scriptoribus, qui de *scētis singularibus* earumque disciplina commentati sunt, multi etiam interpres supersunt, in *Ariſtotelem*, *Platonem*; in *Epicētetum Arrianus* &c. de quibus omnibus in *Fabricii* graeca bibliotheca longa exstat recensio. Huc autem etiam *Ionſii*, *Stanleii*, Gerh. Ioh. *Voffii*, *Hornii*, libri historici; et multi alii, (de *Stoicorum Physiologia*, *Lipſius*; de *Italica Schefferus*) cuius generis indica- ces nos hic conſcribere, et *bibliothecas* aut *catalo- gos* compilare, operaे non esse videtur pretium. Venerab. *Bruckeri* eximum opus, *historia critica philosophiae* ceteros adhuc auctores et interpretes longo vicit interuallo; sed non defunt, quae et aliter et certius et utilius tractari possunt; quod tamen de laude viri integerrimi nihil detrahit, niſi apud imperitos. Sunt autem multa eximiae utilitatis, quae ex historia philosophiae collig- tur, documenta; e quibus vel ista breuiter attin- gimus; 1) Intelligimus, dei beneficio, num- quam omnino defuisse sapientes et probos homi- nes, qui illustria hominum vitia atque inutilia studia et viderint et iis mederi voluerint; licet non pauci deferto, virtutis communis ministerio aut gloriam aut lucrum ipſi praeferre non dubita- rint; itaque non mirabimur, si, quod Paulus re- prehen-

prehendit, etiam e christianis doctoribus quidam
 $\pi\omega\sigma\mu\nu$ similiter esse duxerunt disciplinam christiani-
 anam. 2) Reperimus autem parum aut nihil ex
 dubio isto beneficio ad plebem emendandam per-
 tinuisse, vt pote ad ista scholarum $\alpha\delta\sigma\tau\alpha$ et $\epsilon\sigma\omega-$
 $\tau\epsilon\alpha \alpha\kappa\sigma\tau\eta\mu$ numquam admissam; qua in re
 omnino christiana philosophiae, seu $\epsilon\nu\sigma\beta\epsilon\alpha\mu\alpha$,
 praeципue spectatur salubre ingenium; haec enim
 admittit et vltro aduocat omnes homines. 3) Fa-
 cile patet, etiam ad Iudeos iam ante Christi
 tempora non parum ex philosophica graeca disci-
 plina peruenisse, siquidem *Pharisaei a Stoicis*
 quaedam mixta, *Sadducaeui*, ab *Epicureis*,
Esseni, a *Cynicis*, videntur habuisse; *Alexan-*
driini autem Iudei *Platonis* scripta non obfus-
 amarunt. Itaque etiam in *Palaeistica* contraria
 studia viguerunt; cum *Pharisaei* populum, cui
 studebant, opinionibus multis de *angelis* et *dae-*
monibus implessent, vt *Sadducaeorum* peruvia-
 ciam facilius reprimerent. 4) Nec illud est
 obfcurum, quia res aliter non patiebatur, non
 dissimilem tradendae disciplinae modum inde a
 Christo atque Apostolis valuisse, ob plebis impe-
 ritiam atque $\alpha\vartheta\epsilon\mu\epsilon\alpha\mu$, vt pleraque symbolice et
 per parabolas dicerentur publice, iis autem, qui
 intelligendi facultate paulo plus valerent, chris-
 tianae religionis et praeceptiones clarius pro-
 piisque traderetur, et earum $\lambda\sigma\gamma\alpha\mu$ reperiun-
 dorum facultas libera permitteretur. 5) No-
 tiones earum rerum, quae ad disciplinam huma-
 nam pertinent, partim domesticas obtinuisse,
 partim ab exteris modo non uno acceptas, con-
 tinuatasque impune fuisse, quia de rebus istius
 generis nec Christus nec Apostoli praeceperant;
 6) eoque facilius christiana rei minus genuinos
 interpretes atque ministros, vt suam societatem
 aut

aut lucrum augerent, commiscaisse *Platonis* &c. decreta. Atque sic fere ad nostra vsque tempora obtinuit; *Aristotelis* non desuit inter *Latinos* eximum studium, postquam *Boethius* eius quosdam libros latine transtulerat, vt in omnibus scholis olim ab *Aristotele* copiosa theologiae adiumenta petita fuerint, praeccipue cum non deessent libelli *latini*, qui *Augustini* etiam nomen falso pree se ferrent, (*principia dialectices*, *categoriae decem* ex *Aristotele*) cuius nominis auctoritate, cum nec exemplum molesti ratiocinatoris in *Augustini* commentariis deesset, facile ista disciplina vicit. Qua in causis eti sunt, quae a nobis recte iam aut reprehenduntur, aut contemnuntur: illud tamen negari nec potest nec debet, a scholasticis istam alterius generis disciplinam, ανεραματικην, εσωτερον, atque a plebis imperitia remotam, quam *Presbyteri* olim eruditissimi *Alexandrini* et pauci quidam episcopi continuauerant, per manus quasi traditam fuisse et continuatam; vt disputatione, quibus iuberet ea ratione exerceri, de plerarumque doctrinorum ecclesiasticarum et publicarum caussis, sed ita et eo modo, vt utram in partem aliquis sententiam sibi ferendam statueret, ad christiana rei summam, atque ad mentis iustam emendationem felicitatemque, interesse parum aut nihil omnino videretur; nisi Episcoporum potentia atque praestantia hac in re spectari voluerat, vt anathemate adiecto iam piaculum periculumque aeternae salutis, si qui animum aduerterent ad improbam malignitatem, adesse iuberetur, metu simul ingenti, ob corporis iam et rebus inferenda damna, ad omnes facile vulgato. Itaque ab hac siue superbia quorundam, siue astuta politia deriuare possumus liberalis theologiae christiane

stianae et impedimenta cetera et inuenustum, quod accessit, ingenium; ut iam facile quidem liceret scortari, moechari, helluari, superbire, et a vitiis funestissimis non esse alienum; dubitare autem et requirere et sentire liberaliter de doctrinarum internis *λογοῖς* et nexibus, hac an illa ratione melioribus, vel integerrimae vitae christianos jus fas non esset. Nempe isti tales christianos nolebant, qui barbaricis ineptiis plebis imperitiam continuari et ad posteros *graecanicæ* vitae modum transmittere volebant. Hic fortis quidam peccatore liberaliter contradicere ausi, tandem viam fecerunt libertati animorum atque ingeniorum, vt, quia etiam externa principum improbissima seruitus aliter abiici non poterat, humana et christiana iura tandem feliciter terrarum dominis vindicata fuerint. Nempe et *Philosophorum* olim ministeria inde a *Numa* non omnino a rei publicae ratione absfuerint, licet et *Socratem* perdidere philosophandi libertas.

Obseruabimus autem nostram in rem, in publicam potius, et illud: ita per omnia ad nostram usque aetatem secula accidisse, ut quam quisque collegerat atque imbibera philosophiae sive disciplinam sive imaginem, eam semper ad scripturæ sacrae explicationem attulerit. Ab ecclesiasticis scriptoribus, graecis præcipue, ex platonicis riuiulis ad descriptionem deo et similitudinem animi instaurandam multa congeri solita fuisse, qui negare sustinent, faciunt intelligendo ut nihil intelligent; cum inde a *Philonis* et graecorum aliorum Iudeorum libris ista ministeria platonica ad christianorum commentarios accessisse satis constet. Igitur *Syllogismorum* etiam omnifere genere vsl sunt et *catholici* et *haeretici*; quas enim argutias et *Athanasius* et *Augustinus*,

fi

si placent, non adhibuit? *Ariani* autem aristoteli-
cis subfidiis praecipue sua bella gesserunt, vt *Basi-
lius* et *Gregorius Nyssenus*, non solum ostendunt,
sed etiam, vt possunt, inuertunt. Inter graecos
porro, praeter philosophiam, rhetorica etiam ad-
iumenta studiosissime adhibita fuerunt, eum in mo-
dum, vt dicere ausim, non parum ineptire non ra-
ro *Gregorium Nazianzenum*, *Chrysostomum*;
plures autem posteriores ita declamationibus dant
operam, vt nostris temporibus gratulari debeamus,
a quibus impotentis applausus et imperitae plebis et
circi inuenusta studia omnino abesse videri possunt.
Penetravit vero ad seculi 4. *ascetas* et ad *monasteria*
corporis et materiae iniustum odium, quasi in peccati
non solum officinam sed etiam fontem; nempe quo
minor iam corporis moles, quo magis contaminata va-
letudo, eo plus virtutis, si placet, in homine. *Mate-
riariorum*; si nomini est venia, opinio, (quae ex
Africa latinum orbem corrupit, inter graecos au-
tem Iudeos non inusitata fuit,) adiuuit animarum
spirituæ, purgatorii metum, et purgationis fidem
paulo post perficienda. Barbarica iam secula,
ab omni philosophiae exercitio aliena, quo nouis ad
Francos, *Saxones*, *Venedosque* &c. apostolis
inter rudes gentes opus non fuit, miraculorum con-
tinuam copiam, adiuuante stupore publico, mitissi-
me exceperunt; hic *transubstantiationem* tandem
et *poenitentiaem* modum persuadere stupidæ et ferae
plebi facile licebat; soli *palatini* clerici, et *scho-
lastici* liberalis ingenii aliquod instar retinuerunt,
prudentissime professi, se non dogmatice, (quae est
ecclesiae solius auctoritas,) sed scholastice, dispu-
tare et requirere. Tandem *eclectici*, qui nec
Thomistæ essent nec *Scotistæ*, (quos inter *Fran-
ciscani* disciplinam arcani et oeconomiam ad popu-
lum, *Francisci* versatili exemplo, sollertiaſſime

C

ſuam

34 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

suam in rem adhibuerunt), haud paulo plus juris et libertatis ad posteros transmiserunt; e quibus extiterunt illi, qui ex vniuersa veterum morali philosophia justum docendi et intelligendi modum sensim instaurarunt. Facile autem discimus ex *Strigelii*, *Melancthonis*, et *Lutheri* adeo, (qui *Augustinum* olim imbibera) exemplo: semper ad scripturae sacrae expositionem coisse philosophiae, quam quis sequebatur, disciplinam; atque aliter res habere non potest, nisi quis eorum amare velit domestica studia, qui dei in se ipsis vocem audire videri malunt. Ita nuper *Cartesii*, *Malebranchii* amatores, aliorumque colligendae aut informandae philosophiae nostri temporis ministri atque auctores, istam, quam amant disciplinam, ad scripturae sacrae usum promouendum attulerunt; nec rem reprehendere ausim, fieri enim aliter nec potest nec debet; si modo rei iustum modum servant, nec alios facere similiter, et alia ratione simili, inclementer prohibeant.



CAP. II.



C A P. II.

De interpretatione sacrorum librorum.

PARS I.

De libris V. T.

§. VIII.

Iam, quod ad ipsos libros sacros attinet, e quibus adhuc continuis nostris studiis christianaे religio-
nis ipsa capita aut deriuanda, aut nostrae aetati, vt optime potest, accommodanda sunt: linguarum peritia iusta primum omnium nobis opus est, quibus sacri libri et conscripti fuerunt, et antiquitus iam variis translationibus ad alias gentes vulgati. Atque hic fatendum est illud, inter primos christianos inueniri rara documenta huius peritiae et consuetudinis hebraicae, aut chaldaicae; quoniam sacris libris V. T. aut rarius omnino vti solebant, (nempe si res cum Hebreis esset;) aut ex ista translatione LXXII interpretum, quos vulgata per istud tempus fabula a spiritu sancto in interpretando sic adiutos fuisse persuadebat, vt non parum iam praestaret ista translatio hebraico ipsi corpori, quod vel Iudaeorum quorumdam malignitate hic ibi a corruptione et mendis non amplius immune esse videbatur. Nos iam facile intelligimus ratione fere omni carere istam suspicionem, et si multorum olim animis insedit; (lib. 1. §. 12.) apparet potius, ab ista translatione hic ibi non abfuisse christianorum iusto studiosiores manus, si vera sint, quae Iustinus ille, quem so-

De lingua-
rum neces-
fario stu-
dio.

C 2 lent

36 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

lent martyrem dicere, et alii patres ecclesiae vetustiores iactare ausi sunt, has illas sententias hebraicis codicibus iam esse detractas. Nec opus est, ut definiamus, an nullo emolumento caruerint primi illi scriptores, qui Hebraicae linguae fuerunt omnino expertes; certum est, nihil illis defuisse, quo ad salubrem N. T. vsum opus esset; licet et parum felices fuerint istorum conatus, qui incerta illa atque ancipiti translatione graeca vsuri, eum Iudaeis crudelioribus contendere auderent, de praestantia et iure christiana religionis. Nos vero, hac nostra aetate, carere hebraicae linguae peritia fine eximio damno nostro non possumus. Hanc ad caussam referendum est *primo loco* illud, quod statuere aliter non licet, de historica et vera librorum hebraicorum serie et compage; neque enim parum differt quibusdam in libris hebraicis sententiarum ordo et numerus, ab eo, quem in *graecis exemplaribus* olim obtinuisse, aut ex *Origenis, Hieronymi*, similitimque diligentiorum auctorum observationibus scimus, aut ex codicum scriptorum atque editionum meliorum fide cognoscimus. *Deinde*, quod de vera interpretatione hebraicorum librorum aliter sententiam ferre non licet; esset autem satis illiberale atque intuensum, latinorum aliorumque interpretum, siue antiquiorum siue recentiorum auctoritate, temere stare et confidere; quae et ipsa varia est atque incerta, et ad indolem linguae hebraicae praecipue refertur. *Tum*, quod supersunt adhuc multa, quae, si accedat studiorum atque ingeniorum varium adiumentum, eximiam lucem adhuc nanciscentur; qua in re non parum aliquis se adhuc mereri posse recte opinabitur; sunt enim non pauca loca, quae aut rebus magnis illustrandis et confirmandis solent adhiberi, aut non parua obscuritate adhuc laborant, vt ius certam in
rem

rem vti nondum liceat. *Tandem* ne noui quidem T. graecos libros recte atque liberaliter aliquis se interpretaturum confidere potest, nisi sit Hebraismi satis peritus. Atque vel hanc vnam ab caussam operae est pretium, multam diligentiam collocare in addiscenda lingua illa hebraica V. T. Fortissima enim adiumenta ad sensum describendum ex ea repetenda sunt; ac quo quis studiosius hebraicae linguae ingenium repererit, eo certius istam graecam scribendi consuetudinem etiam intelliget, quae per N. T. obtinet; a qua quoniam fuerunt plerique olim christiani interpretes alieni, paucis vetustioribus exceptis, satis inepit abusi sunt sententiis istis graecis ad iuniores et nouas ἐντολές, quasi diuina illa auctoritate confirmandas; vnde longe difficillimum religionis genus natum est, a fructibus parum salubribus ad nostra vsque tempora satis notum. Ab ista huius vitii in interpretando societate, qui non sunt alieni, sequuntur strenue antecedentem gregem, et conatu magno, multos per annos, emolumenti ingenui, quo tamen maxime christiana religio spectari conuenit, ad hominum suorum societatem parum aut nihil adferunt.

Hic, etsi bonis quibusdam libris atque magistris linguae hebraicae carere nemo potest, tamen nec eximia tot librorum copia opus est, qui inde a Iudeorum grammaticis et lexicis, christianorum multis studiis iam ingentem in numerum excreuerunt; nec eorum imperium temere quasi subeundum est; plerique enim, aut masoretarum incerta mysteria et ipsis denuo consecrarunt, et aeternas quasi leges linguae aut excusi adeo voluminis scripturae adesse, persuadere solent; diuinum numen literis etiam, quas iam videmus, apicibusque temere admiscentes. Huius generis libros facile ex *Wolfi* bibliotheca hebraica licet colligere; cuius et

historia lexicorum hebraicorum fuerat antea excusa. Ioh. Gottfr. *Hauptmanni* historia linguae hebraeae primis lineis descripta, Lips. 1751. in *appendice* recenset grammaticas scriptiones plerasque. Ex vetustioribus *Mich. Neandri* sanctae Hebraeae linguae erotemata commendari adhuc possunt. Postquam igitur rudimenta grammatica aliquis imbibit ita, ut lexicorum et aliorum scriptorum commentariis vti queat, quae ista minora rudimenta repetere aut explicare non solent: illud praecipue iam dandum est operam, ut ipse colligat *de rebus iisdem phrases* easdem aut similes omnes inter legendum; qua de causa scimus quidem iam multos bene meritos fuisse, et *Buxtorfii* illud opus, quod *concordantiam* solent dicere et omnes lexicographos idem fere consilium sequi: sed aliam ob rationem persuasum imus hanc diligentiam; ut studiosus talium phrasum lector suo ipse ingenio vti adfluecat, atque ut obseruare discat simillimum illum graece scribendi modum, qui est in N. T. atque apocryphis V. et N. T. Hac via non parum proficiet et sapere audebit, haud paulo, quam alii, qui tritis libris solent temere obsequi, certior et constanter arbiter, de vario, quod obtinuit, intelligendi genere. Cumque sit varietas ingeniorum, atque ingenia haec, ut occupare licet, iusto et liberali exercitio iam antea non caruerint: fieri non potest, quin noui atque incogniti quasi orbis partes multae hic ibi a pluribus obseruentur; nihil autem peregrini miscebitur, ex vulgatissima disciplina, quae recte quidem, (ut solebat et Christus parabolis vti, atque eo loquendi genere, quod ferre et pati homines isti poterant,) eam in rem valet, ne imperiti homines temeritate et vanitate usi ad dubitandum et vaticinandum impellantur, qui vix ad audiendum et obsequendum satis ingenii
gut

aut exercitii habent; minime vero impedimentum adferre debet his studiis, quibus eorum continetur atque alitur exercitatio, qui doctorum et ministrorum sacrorum salubri prouinciae destinati sunt. Quod si enim vel hi tam imperite scripturam sacram tractauerint, ut piaculum vbiique vereantur, si arbitrari et reperire ipsi audeant, quod ab aliis non iam fuerit repertum aut scitum: carebunt quidem periculo, quod metuunt et vetustos istos cancellos non egredientur: sed facere non poterunt, vt et alii homines in eligenda sententia, lumine quasi orbati, tales duces vltro sequantur; quod tamen ipsum, si vel maxime contigerit, ad laudem dei et religionis internam indolem nihil oinnino praeccipue conferre dici potest.

§. IX.

Igitur negligenda sunt ista, quae solebant praecipua et sancta quasi nuper adhuc maxime commendiari, quae de vetustate atque origine hebraicae linguae, de textus semel scripti aut excusi intemerata sanctitate, de signorum istorum, quibus et litterae coniunguntur et verba, auctoritate, non sine molesta sedulitate maiores nostri requirebant, aut praeципiebant (lib. I. §. X. seqq.). Nisi quis putet, operae pretium omnino esse, vt eruditionis theologicae initia non careant verbosissimarum disputacionum, et voluminum adeo, multis impedimentis; vt tirocinia liberalis ingenii dirigantur aut eorum commentariis, qui contra *Cappellum*, Rich. *Simonium* aliasque, qui ipsi iudicio suo vti audebant, theologicum longum satellitium vehementius coegerunt, e quibus *Buxtorfius*, filius, fere solus non omnem perdidit operam; aut illorum velitationibus et bellis, qui aduersus Romanae ecclesiae nuperos auctores, *tridentinos* praeccipue, *textus originalis hebraici*

Abiicien-
dae opinio-
nes pree-
conceptae.

40 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

hebraici integritatem verbosius defendērunt. Sic autem tulerunt ista tempora; nec laude aut meritis carent, qui suae tūm aetatis curam bene gesserunt. Nostrum vero iam est, fructus ad nos ex illorum studiis colligere; minime autem idem negotium a nobis agendum et vanis conatibus continuandum est. Nempe intelligimus iam, hebraicorum librorum utilitatem ad nos non inde pendere, vt sint litterae omnes semper, quasi fato admisto, eadem, et *σοιχεία* omnino *ασαλευτα*; didicimus, quod antea non facile patebat, scribas hebraicorum librorum non minus aut lapsos olim esse, aut dedita opera aliquid mutasse, quam aliis in libris describendis sic accidit. Lubenter igitur beneficium agnoscimus, si felicius iam, quam *Cappellus* institerat, eruditorum virorum studia, manuscriptorum librorum auctoritate adjuta, in eo collocantur; vt quasi censum agere possimus hebraicarum lectionum; aut eas, quas iam habemus, defensuri, aut in locum earum, quae falsae videntur, suscepturi, quas cognouerimus praecipua vti auctoritate. Cur hic piaculum metuamus, aut damnum? Verbi divini amatores *λογινες* profecto hac vna ratione agere decet; nisi optemus ista in tempora nos quasi fortunatos reiici, quae ad omnia stupebant, quae sanctitatis nomine ab aliis augebantur. Atque hoc ipsa caussa Romanorum sacrorum ingenium iam facilius spectabitur. Isti enim auctores, monarchiae ecclesiasticae et ipsi participes, *vulgatam translationem* non ideo olim praetulerunt hebraico textui, quod liberaliter rem agerent, atque ipsi intelligerent, hebraicos libros esse sic contaminatos, vt religio christiana iis sine detimento niti amplius non possit; liberum enim fuerat, errores aut menda amoliri, si constabat adesse menda: sed ideo *latinam translationem* iubebant atque imperabant, quia

quia liberalem religionis modum non patiebantur, non ferebant, non sinebant, qui omnem sacrorum auctoritatem a latino pontifice, a latina ecclesia, aduersus omnes sub utroque sole ecclesias deriuabant. Cur igitur repeteremus istas fere vanas disputationes? An *vulgatae* nos ipsi auctoritatem adiuuare dici possumus, si excusos hebraicos libros statuimus hic ibi, litteris aliquot mutatis, excudi posse melius? Oportet autem bene imperitos esse aut pertinaces, qui hic malunt imaginem et vanam speciem reuereri, periturae scilicet auctoritatis, quae verbo dei inesse debeat; quam vel aliis concedere, ut sua libertate utrantur. Nempe, hebraici libri omnes, cunctis in sententiis, verbum dei, cuius salubrem vim exoptamus et experimur, produnt et complectuntur? Ista historiae, ista nomina propria hominum, locorum, sunt verbum dei, quod Christus maxime ad omnes homines prolatum iuit? *Grammaticae* verbi aut nominis varietates statim e. c. in psalmis, contaminationem verbi divini secum ferunt? Nos vero satis *νηπίοις* adhuc atque *σαρκίναις*, qui istis *σούχειοις* tam sollicite adhaeremus, ut alios, quos suo arbitrandi et decernendi iure vti nec deus aut Christus aut Apostolus prohibuit, (quod ius potius a Christo atque Apostolis confirmatum est aduersus Iudeorum stuporem) nec homo aliquis, si vel *Neronis* aut *Diocletiani* persona fingatur, prohibere potest; ut alios igitur pati nolimus sentire de his litterarum hebraicarum historiis, prout sibi sentiendum esse intelligunt; ut hos studiosissimis syllogismis, (inepta et vana auctoritate) a christiana mente et virtute, iudices parum aequi, omnino remoueamus. Hac mente improbam istam vim, quae olim fere terrarum orbem opprescit, et pestiferam tirannidem ipsi reducimus, quam

C 5 for-

42 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

fortissima illa seculi XVI peſtora feliciter conuelle-re ausi ſunt.

Etsi haec iam lib. I. attigimus: tamen cauſſae haec adhuc eſt ratio, vt non vana cenſeri poſſit eius rei haec copiosior repetitio. Quibusdam vero libris hic opus eſt, vt ex tractatarum rerum indicibus illa omnia facilius cognosci poſſint, quae a nobis hic cuncta commemorari non poſſunt. Suffecerit vel *Pfeifferi critica ſacra*, doctissimi *Nagelii*, altorfini meritissimi professoris, ſtudiis liberaliter aucta, qui- bus vel Ven. *Carpzonii critica ſacra* V. T. hic ibi fere ſuperatur. Ex Rich. *Simonii histoire critique* du V. T. (cum appendicibus) multa copia rerum utilem, et exemplum liberalis ingenii facile colligi- tur. *Waltonii apparatus biblicus*, (in polyglottis anglicanis, et *Tiguri* recuſus, addito *Druſii* commentario de proverbiis ſacris,) etiam ad N. T. porrigitur. Non omnino ſpernendi ſunt, *Kort- holti* traetatus de variis ſcripturae editionibus, et *Calouii* criticus ſacer biblicus; fed theologicam potius περιγματειαν ſequuntur, quam grammati- cam et philologicam; historicō autem et critico apparatu hic praecipue opus eſt. Itaque *Theolo- gorum* commentarios hic non commendō, aduerſus vulgatam et tridentina decretā: fed audeo *Joh. Morini* exercitationes biblicas hic recenſere, quas eſi eo maxime conſilio conſcripsit, vt vulga- tae praeftantiam oſtenderet: tamen tantum abeſt, vt hoc perſuadere poſſit, vt potius iudicandi liber- tam eximie adiuuet; multa autem congeslit, qui- bus aliam in rem utilem abuti poſſumus. Praeci- pue vero et vel maxime *Kennicoti* vtraque differ- tatio commendanda eſt, quam Ven. *Telleri* bene- ficio latine legimus; quas qui non legerit, hac in cauſa ſalubri luce carebit. Collegimus et ipſi ple- raque.



raque potiora in libellis, *Vorbereitung zur Herabmenevtie;* parte, 1. 2.

§. X.

Commentarii libri sequuntur; e quorum eximio numero per tot ad nos vsque secula paucorum nomina nosse et sequi sufficit. Obseruauimus enim iam antea, lib. 1. §. 22 seqq. paucos omnino esse ex vetustiorum numero superstites, quorum scriptiones et nos voluere sit operae pretium. Ex Rabbinis sunt quidam eo ingenio, vt eos legere non poeniteat; *Aben Esra, Kimchi, Alschech, Schelomo Iarehi, Abarbanel, Iac. Lombroso, Menahem de Lonzano, Eliae Masoreth hammasoreth;* corpuscula illa, *Ialkut*, (duplex); *Rabboth;* *Iosephus* autem in antiquitatibus iudaicae gentis nimis multa vltro comminiscendo mutarit; cuius generis non pauca etiam *Jonathan ben Uziel* ausus est. Recentiorum autem studia, quae ante nostram aetatem ad V. T. sunt allata, plerumque τοις πολλοῖς inseruiunt, et salubri arguento V. T. libros ita implent, vt christianaे religionis praecipua capita vbiique adiungant; qua in re non tam interpretum, quam ἐξηγητῶν et monitorum prouinciam gerunt. Itaque istam solertiam nec contemni nec exagitari fas est; sequuntur exemplum Christi atque apostolorum, qui e variis V. T. libris et auctoritatem et opportunitatem ad Iudeos excitandos colligunt. Sed iusti interpretis persona hic in eo maxime spectatur, vt distinguat istam, quae Iudacis fuerat domestica, de suis sacris libris ἐννοεῖν et disciplinam; Iudei enim facile summam diuitatem non his solum libris sed etiam litteris atque apicibus temere tribuere solebant sic, vt negarent fas esse, rerum, quas inde a longo tempore finixerant imagines, exilium certe et parum salubrium,

vel

Commen-
tarii in V.
T.

44 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

vel leuiter immutari. Perfectissimum religionis instar sibi collegisse videbantur; a qua qui vel unguem latum recederent, nullo iure et numine diuino eam in rem vti possent. Nos autem scimus, multa in veteris T. libris descripta aut prodita humano more, exstare; historiae omnem illam partem exprimere aut maiorum eius gentis aut statorum res sine spiritu gestas; nondum tempus fuisse opportunum, describendae religionis liberae atque internae; eam gentem legibus mosaicis, vt in ciuitate plebem, paulisper coercitam fuisse; non tamen deesse omnino quorumdam exempla, qui spiritu et λογω ipsi non caruerint. *Prophetarum* autem omnia studia in id collata fuisse, vt populus sensim ipsas eas res amplecti disceret, quarum exiles imagines rudibus ingenii per istas caerimonias proponebantur; hoc consilio prophetae de ea religione portendunt, quae liberrime ad gentes omnes pertinere queat, de qua causa diximus lib. I. §. 32. Igitur fuerit olim ea temporum hominumque indeles, vt vniuersum V. T. sacramentis plenum creditum fuerit; sed iam non opus est, lectorum omnium aequalia posse re studia atque exercitia; vt a christiana religione secedere ille dicatur, qui sapientem illam oeconomiam id secum ferre, et id Apostolorum decretis confirmari putauerit, vt V. T. libri minime putentur ubique turgere christianis sententiis et rationibus; a Spiritu S. enim nouo quodam ministerio rem christianam omnem proprius pendere. (loco allegato). Sunt igitur hic ibi quaedam sententiae καθολικης in V. T. sed rarae, atque a paucis ad mentem regendam adhibitae; non omnia deus iam poterat reuelare per ista tempora, quae in omnifere terrarum orbe mentis humanae rudem imperitiam occupant. Symbola quaedam apparent rerum ηθων, sed ipsae rationes nondum patent. Itaque inter-



interpres V. T. istos praecipue locos, *de peccato*, de Messia, de mentis perfectione, studiosius distinguit, nec sic admisceat e N. T. disciplinam, vt Iudaci negare queant, istis in sententiis illas res describi. Valuit potius et hic illa prudentia atque oeconomia, vt rudi plebi exilia ista religionis exercitia destinata fuerint; τοις δε λογιστέροις libera fuit ista de rebus ἀληθίναις atque ἡθινοῖς interpre-
tandi facultas. Ciuilem igitur societatem lex Mosis constituit et defendit; de ciuili felicitate promittit; minime vero ea hic obtinet notio, quam et Christus et Paullus maxime illustrarunt, legem, (qua Christiani vtuntur) esse *spiritualem*. Itaque historica et hermeneutica caret ratione illud discrimen, quo multi seque et alios impediunt, legem Mosis esse partim, *caeremoniale*, partim *forensem*, partim *moralement*. Omnis lex Mosis, vt huic genti fuit et proposita et obseruata, est lex ciuilis, (propter peccatum et imperitiam gentis ὑπεισηλθεύ, dicit Paulus;) nec sunt separatae a se aut sciunctae tres partes illae; vnum est corpus, isto externo societatis Israeliticae fine et consilio definitum, licet per dei sapientiam, paedagogium simul fuerit ad christianam religionem; seu ad Christum, i. e. eius doctrinam liberalem ita amplectendam, vt iam isto Mosaico ministerio amplius non opus esset. *Christianæ* igitur est illa notio, et theologicæ iusta et vera, *de lege et euangelio*, cuius utriusque beneficio christiana mens et emendatur et felicitate certa potitur. Atque Christi idem spiritus iam in prophetis et Psalmis de hac re saepius admonet, de qua in lege Mosis non exstat clara commemoratio. Atque fuit de hoc loco olim eadem, *Lutheri*, *Melanchthonis* atque aliorum disciplina, quae et ab *Irenaeo*, *Clemente*, *Tertulliano* aliisque melioribus tractatoribus fuit adhibita. Pro-
phe-

phetarum autem iam fuit; a quibus *Iohannes* eam quasi suscepit continuauit. Similiter de insigni melioris religionis auctore et ministro, de *vñcto illo*, seu destinato per deum ad istam prouinciam; non vbique in libris hebraicis clarissima iam exstant testimonia; itaque interpres nec vbique requiret, et si ius fas sit, christianum pro suo modulo, vt optime intelligere sibi videtur, admirari dei sapientiam et rerum iudaicarum inusitatam oeconomiam. Hac ratione non opus est, sententiam vehementius ferri de *Iudaizantibus* aut *Socinianizantibus* interpretibus, aut de *Syncretistis*, (vanum atque improbum nomen, nisi rei vitium aut malignitas declarari queat;) qui de *Trinitate* oracula in V. T. luculenta non inueniunt. Nempe, si qui ista omnia sibi luce ipsa clariora videre putant: vtantur et fruantur in Dei et Christi honorem ista luce; sed stomachari in alios, (quorum misereri oportebat, si non est auerruncanda aeterna pernicies) parum conuenit eos, qui aliis et sapientiores et beatores se sciunt. Imitemur potius quoti quique sumus interpres V. T. dei illam indolem saluberrimam, qui ἐρεπονθορησεν rudem populum; infistamus vestigiis apostolorum, qui de interpretandi vnico genere leges non tulerunt, vtebantur potius hominum sententiis sic, vt omnibus omnia fierent. Summa certe rei est, vt christiani sua omni vitae ratione Iudeis praestent, et ceteris gentibus, quae a vita quadam disciplina etiam non omnino abs fuerunt; ad vitae autem spiritualem illam indolem, quae Christum atque Apostolos sequitur auctores, nihil facit interpretandi V. T. varietas; licet non sine γνωσται et conscientia, temere quasi, arripere aut abiicere fas sit interpretationem illam, cuius perfecta et certa ratio nondum satis constat. Tenenda est igitur varia illa disciplina; vt ne ad plebem imperi-

tam

tam de his rebus transferatur sententia, quae Iudaico
prisco more, facile vel ferro eos persequatur, quos
doctorum improbior auctoritas quasi dei sacros hostes
descriperit; sed ut etiam eruditiorum hoc in loco
ingenium et libertas, imperitorum hominum con-
suetudine, iniustum in modum non impediatur.

Complectitur haec breuis disputatio copiosissi-
mum locum, et eruditionis varium ambitum; a quo,
ut sunt multi longius remoti, eo facilius ad vehe-
mentem impelli solent sententiam aduersus alios,
quos non putant sine impietate et destinata animi
malignitate diligentius adhuc requirere, de *canone*
hebraico; de *Esdrae* prouincia in hebraicorum li-
brorum instaurazione; de vetusta varietate exem-
plarium hebraicorum, vt ea colligitur ex graecis et
aliis vetustis translationibus &c. de quibus re-
bus tamen vel ipsorum Iudeorum non deest satis
antiqua commemoratio; a quibus christiani etiam
auctores acceperunt. Atque de his, quae ad histo-
riam librorum hebraicorum pertinent, in *prolego-
menis* et *prologis* bibliorum maiorum solet copio-
sius tractari, licet sat pauca sint, de quibus paulo
certius aliquid reperire licet vel ex verbosissimis tot
per secula commentariis; cuius generis auctores sive
celebriores sive meliores fere sunt, a *Lapide*, *Sal-
meron*; du *Hamel*, du *Pin*, (contra cuius prole-
gomena *Richardus Simon critica* volumina qua-
tuor edidit;) *Calmet*; praecipue autem Ven.
Carpzonii introductio ad libros canonicos V. T;
quo adiumento si quis vtatur, facile iam caruerit
Fabricii partitionibus hebraicis, et *Waltheri* offi-
cina biblica. E commentatoribus seu *exegeticis*
auctoribus, e Iudeorum gente praincipi habentur in
bibliis *Bombergii* ter varie excusis; priora recudi
fecit *Buxtorfius*. Alii autem, christianorum, vniuer-

sum

sum V. T. suo modo illustrant, ex quibus ii eminent, qui breuibus quasi scholiis potius, quam decretis dogmaticis dederunt operam, *Seb. Munsterus* in bibliis, *critici sacri*, quos *Polus* in *Synopsis* rededit; autores *commentarii litteralis*; *Grotius*, cuius adnotaciones etiam post *Calouii* animaduersiones *Θεολογικωτερas* praecipuam utilitatem atque exercitium adferunt; *Mercerus* et *Drusius*, post *Grotium* inter multos laudabiles; *Ludov. Cappelli* et *Clerici* *commentarii* et notae in V. T. *de Dieu* critica sacra. *Alii* selecta tantum loca explicarunt, *Pfeifferus* in dubiis vexatis, *Dachselius*, in bibliis accentuatis, (neuter tamen liberali ingenio satis deditus;) *Hakspanius* in notis phil. theol. in difficultia scripturae loca; *Henr. Scharbouinus* obseruatt. sacris et parergis; doctiss. *Oederus* obseruationum — quinquagena et coniecturarum centuria; Ed. *Pocokius* notis miscellaneis; alii *dissertationes* et *exercitationes* destinarunt in varia loca, V. T. quorum multas in corpus seu *thesaurum* duplarem coegerunt *Ickenius* et *Haseenus*; e quo *Menthenius* dedit epitomen; multas huius generis scriptiones etiam *Thom. Crenius* in variis corpusculis collegit. Celebriora nomina huius classis auctorum ista fere sunt, *Buxtorfius*, *Heidegger*, *Hottinger*, *Vitrina*, Corn. *Adamus*, cel. *Heinius*, *Gerdesius*, *Relandus*, *Millius*, Ioh. *Saubertus*; *Dilherrus*, I. H. *Maius*, *Deylingius*, *Heumannus*; doctiss. Ioh. Diet. *Winkler*; omisimus alios, iam fere minus frugiferos, *Emaldi* certe emblemata, de *Roa singularia*, *Nouarini* electa &c. manibus versasse raro iam fuerit operaе pretium. De iis autem, qui theologicis et polemicis studiis praecipue sunt dediti, aut incertis antiquitatibus hebraicis, quid recte statuendum sit, facile inueniet, qui ex istorum numero quibusdam fatis

fatis ipse adfuerit. Superfunt verbosiores illorum commentarii, qui paucis aut singulis libris V. T. studiosius et quasi sollemni ritu, dederunt operam; magno numero scriptores, sed plerique honorificam in scribendo pompam magis obseruantes, quam sobrii et moderati diuitiarum suarum arbitri. Ex pontificiis, *Caietanus* et *Maluenda*, fere alias breviores; fusiores autem, *Toftatus*, *Bonfrerius*, *Pererius*, *Serarius*, a *Lapide*, *Masius*, plerisque melior; *Nouarius*, *Corderius*, *Genebrardus*, de *Pineda*, *Maldonatus*, *Ribera*, *Feuardentius*; plus sobrietatis obtinet in Eym. *Saa*, *Tirino*, *Sanctio*, *Menochio*, et paucis recentioribus, *Calmeto* &c. quos non puduit a superiorum pertinacia et vana molestia recedere, atque vel ex iis proficere, qui protestantes solent appellari. Ex reformatis fere eminent, Comissis inutilioribus nostro tempore homiliarum auctoribus seculi 16.,) *Pellicanus*, *Caluinus*, *Rivetus*, *Iunius*, *Vrsinus*, *Crocius*, multi ex *Anglis*, *Ainsworth*, *Kidder*, *Pyle*, *Cartwright*, *Patrik*, *Hammondus* alii; e *Batauis*, *Cocceius*, *Vitrunga*; istum multi temere secuti sunt. *Schultenii* autem consilium, qui arabicae praecipue linguae adiumenta coegit, vel hodie adhuc placet; et recte fere placet, licet non raro persuadere nequeat; viam tamen praeiuit tutorem. Ex nostris amabimus pia studia *Lutheri*, *Brentii*, *Bugenhagenii*, *Melanchthonis*, seculi 16.; *Gerhardi*, *Geieri*, Ioh. Ad. *Osiandri*, *Tarnouii*, *Sebast. Schmidii*, nomina colamus; sed et illud statuamus, istorum opera si tantum vtatur, hoc tempore multa superesse, ad quae illustranda istorum ministeria minime sufficiunt; suo tempori salubrem praestiterint operam. Sed et recentiorum nimia illa studia cauenda sunt, qui prophetas miris sententiis et historiis implent, vt de iis rebus ad Iudeos sui temporis pra-

II. Lib.

D

cipue

50 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

cipue egisse prophetas credendum sit, quae hac nostra aetate in *Germania, Vngaria &c.* euenturae sint, quod ineptiarum genus nec sic placere debet, cum multa religionis specie inuoluitur. De *Iosepho*, quod innuimus, copiosius perhibet *van Dale* in dissertatione super *Aristea* Cap. X seq.

§. XI.

De chaldaicis translationibus.

Targumim, seu chaldaicae paraphrases multa utilitate non carent, et si nondum satis de hac re constare videtur; plerique certe iis tantum eam in rem vtuntur, vt radicum hebraicarum rariorum significatus illarum ministerio melius pateant; quod et ipsum non est contemnendum, rei autem summa non conficit. Historia harum translationum satis est obscura, vt pleraque illa, quae Iudeorum domesticam rationem sub Christi tempora attingunt. Videtur autem verosimilitudine non carere, hac fere dialecto, aut simillima, Iudeos in Palæstina et Syria sub Christi tempora viros fuisse; atque, cum hebraicae linguae, vt locum habuit sub regibus, paulo ante babyloniam captiuitatem, Iudei iam non amplius periti essent, (chaldaicae scilicet adfueti, cuius satis clara monumenta in *Danielis* libro, atque aliquot aliis in libris, supersunt,) translatione opus fuit, qua populo *lex* et *prophetae* et *psalmi* inter publicam lectionem praeirentur. Etsi vero non desuerunt, qui *Onkelosi* in Pentateuchum, et *Ionathanis* in prophetas, translationes, quae hodie supersunt, iam ultra tempus Christi reiiciuntur minus tamen de ea re constat, aut constare adhuc potuit. E Iudeorum chronologia vix aliquid certi effici potest, narrationes autem illorum a fictionibus solent proprius abesse. De eo non est dubium, chaldaice sacras lectiones praeiri solitas fuisse; sed de eo vix constare potest, aliquem eorum libro-

rum



rum, qui nobis supersunt, ex isto tempore ad nos integrum et ingenuum peruenisse. Ut ilitas harum translationum eo redit, ut partim, de textus hebraici causa et historia possit facilius statui; partim interpretandi libertas et consuetudo intelligatur, quae inter Iudeos praecepue valuit. Atque haec res est omnino eximii momenti ad nos ipsos, qui aut ad interpretationem librorum hebraicorum accedimus, aut explicationum earum rationes recensemus, quibus solebat Christus atque Apostolus, ad Iudeos, maxime vti. Nec illud hue non pertinet, quod opiniones Iudeorum atque domesticae multae ineptiae melius perspiciantur, quibus imperita plebs, his quasi sollemnibus vsa doctoribus, dedita esse solet; quod non parum facit, ad commendanda religionis christiana decreta. Non audeo vero et illud ad ilitatem paraphraseon referre, quod inde a seculi XVI fine Theologi quidam, post *Galatinum* aut *Raym. Martinium*, instituerunt: quod in his paraphrasibus soleat saepissime de *Memra*, verbo Iehouae, ita scribi et statui, quemadmodum Iohannes τὸν λόγον, personale verbum, describere. Est vero satis incertum, ecquam Iudei tenuerint sententiam; angelum aliquem e potioribus forte innunt, eumque ministrum dei toties fere adferunt, quoties decretum aliquod dei aut mandatum narratur. Repererunt igitur quasi maiestatis diuinae adiumentum, sed simili fere ratione, ut a nominibus Iehoua, immo et illo *Elohim*, pronuntiandis abstinuerunt; cuius generis studia haud scio an Christiani suam in rem hinc repetere recte queant, cum de Christo λόγῳ, et persona diuina ὁμοσοιῳ agitur. Si enim maxime *Memra* Iehouae innuit personam, debetur tamen his iudaicis εὐοοῖς; atque, qui angelum aliquem intelligere solent, eo difficilius movebuntur, ut ὁμοσοιον ei personae tribuere discant.

D 2

De

De paraphrasibus chaldaicis, *Brianus Walton*, in *prolegomenis*; praecipue vero *Rich. Simonius* quaedam vtiliter obseruauit, in *historia critica V. Testam.* E' nostris potiora in *Pfeifferi et Ven. Carpzonii critica* sacra colliguntur; excerpta fere conseci in *praeparat. hermeneutica*, particula I. sed nondum satis liberaliter haec caussa discussa fuit: cuius rei initia praeiuit doctiss. *Kennicottus* dissert. 2. c. 2; qui admonuit, plerasque editiones harum paraphraseon ad hebraicum textum istum visitatum, serius conformatas esse. Paraphrasin in *Chroniconrum* libros, primus ex codice *Erfurtensi* edidit *Beckius*, adiectis multis notis, in quibus sunt vestigia liberalis ingenii; emendatiorem vero editionem *Wilkens* post *Beckium* curauit. Quod autores paraphraseon saepius a vero sensu abeunt, videatur adiuuare veram antiquitatem hebraicorum librorum; qui si tantum ab *Esra* demum hac forma et serie in lucem editi fuissent, non potuissent non intelligi, quia vix aliquot secula practerlapsa erant. De eximia illa superstitione et illud obseruo, vel Christianos seculo 16 ab ea parum absuisse; luculentum rei documentum est in *Ioh. Potken*, praepos. colon. *Psalterio*, 1518 colon. fol. min. Execuditur semper יְהָוָה, et יְהָוָה, ut ne pronuntietur, littera ו loco ו. Collegit *Mich. Neander*, testimonia veterum Rabbinorum, Thalmudistarum ac Cabalistarum de Christo, post pag. 208 in libro: sanctae linguae hebraeae erotemata, 1567 francof. De *Memra*, isto seculo *Selneccerus* primus collegit; multa autem eius generis, quae ad interpretandi moleste sedulas ineptias pertinent, facile colliguntur ex corpore cabballistico, et *Surenhusii* libro, Βιβλος καταλλαγης. Fuit fere plebis illa consuetudo, cui Pharisei praceesse duces atque autores solebant. Itaque mirum non est, *Sadduceos*

cœos aliosque ex eorum ordine, qui noblebant cum istis commisceri, non solum illam argumentandi interpretandique viam contempsisti, sed et negasse, eius generis Messiam exspectandum esse, quem isti radiores inuenustius solebant confingere.

§. XII.

Praeter *Syriacam* ex hebraico textu translationem, non parum vtilitatis ex *græcis* hauriri potest. Incerta quidem est ipsa historia et causa graecarum translationum; (lib. I. §. 16.) atque multo studio opus est, si quis velit liberalius de ea re cognoscere. Fabulas hodie facile explodimus, quae *Aristæe* nomine, *Iosephi* etiam et patrum graecorum auctoritate, vsque ad Hieronymum fere fidem inuenire solebant; quam in rem *van Dale* et *Hodius* eximiam operam praestiterunt. Primum omnium *editiones* excusæ distinguenda sunt, (lib. I. §. 15.) rarissima enim *complutensis*, sed nullius vñus certi, quemadmodum regia *antwerpensis*, et quedam aliae, inter nos ad istam fere expressæ. Rara etiam *Aldina* atque, licet mendis typographicis non careat, satis vtilis; melior autem haud paulo *Vaticana*, sub Sixto V, etiam aliquoties alibi refusa; post quam mixtae variae prodierunt; tandem *Alexandrina* recensio in *Anglia* excusa fuit. Praeterea *Psalmorum* graeca antiquissima editio, inter Hieronymi opera, ab *Ammerbachii* 1516, atque a *Potkenio*, *Coloniae* 1518, alia curata fuit; a *Blanchinio* autem inter *Vindicias canonistarum* scripturarum, vetustissima recensio, *latinis* scripta *litteris*, procurata est. Non carere possumus studiis *Cappelli*, in *critica sacra*; *Ioh. Morini*, *Lucae Brugensis*, *Lamberti Bosii*, *Grabii*, *Breitingeri*; nec *Hexaplis Montfauconii*, atque editione *Chrysostomi*, ab eodem *Montfauconio* cu-

De akis
trans atio-
nibus ori-
entalibus.

D 3 rata.

54 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

rata. De eo facile constat, non esse eosdem autores huius graecae translationis, quae solet LXX interpretum nomine distingui, nec esse eam vnius temporis; de qua causa studiosius obseruauit *Hodius*. In *Pentatecho* solet plerumque conuenire magis cum *Samaritanzo* exemplari hebraico, quam cum hebraico nostro; *chronologiae* tamen, causa excipienda est, (lib. I. §. 12.) *Deinde concordantiarum* vsu hic carere non potest, qui liberius hac graeca translatione vti velit; *Kircherus* et *Trommius*, vario consilio, eius generis ministeria praeiuerunt. Si quis *Syriacas*, *Aethiopicas*, *Arabicas* et *Latinas* partes conferat, quae ex hac graeca translatione supersunt: multo facilius scribarum multa menda corrigi possunt. Quod ad ceteras *graecas* attinet, (lib. I. §. 16.) quibus cunque tandem debeantur auctoribus, non raro plus utilitatis afferunt, quam ista των LXX. Pertinet autem ista utilitas non solum eo, vt de *varietate scripturae*, quae olim quibusdam in libris hebraicis locum forte habuit, pluribus constet documentis: sed etiam, vt ad sententiarum vetustam diuisionem facilius, si opus sit, redeamus; qua in re librorum manu olim scriptorum fuit alia et facilior ratio, vt *bemisticia* diuisa fuerint, quam quae iam in excusis libris obtinet. Nec fuit olim par aut eadem sententiarum multitudo, quae iam *capitum* nomine venire solet. Interpretandi autem facilior confuetudo, quae olim late obtinuit, ex hac fere translatione deriuata, et si saepe hebraicae sententiae verum modum egreditur, tamen non raro opportunum locum facit, utilioris nostri studii. Summa tandem rei est haec, vt ne arripiamus tantum ea, quae sunt hic ibi a doctis viris iam obseruata, quasi superstitione nihil, quod melius reperiri queat: sed vt priuata studia ipsi adferamus, et librum vnum aliquique hebraicum

braicum cum his graecis ministeriis diligenter comparemus.

De *Samaritano* exemplari diuersae fuerunt sententiae; nec fructu caret, legisse *Hottingeri* et recentiorum de *Samaritano* *Pentateucho* animaduersiones; sed nostra aetas haud paulo plus lucis ad hanc caussam ex *Houbigantii* et *Kennicoti* melioribus studiis sperat; plus certe, quam ex translatione *Samaritana* atque *arabica* ad *Pentateuchum* hunc redire queat. De variis rebus, quae hic attinguntur, *Ven. Carpzouii critica sacra* adeunda est; nec omnino vel *Hottingeri thesaurus philologicus* negligendus est, licet hoc nomine iam minus dignus sit liber, liberalis ingenii fere expers. Ingenuae indolis est van *Dalen dissertatio super Aristeia*; copiosior autem *Hodius*, in libris 4 de bibliorum textibus *originalibus*, versionibus *graecis* et *latina* vulgata; Rich. *Simonis histoire critique* reuelenda; item I^f. *Vossius* de LXX interpretibus, cuius vel aberrationes fructu ad nos non carent; *Vsserii* syntagma de graeca versione septuaginta viralis; *Morini* exercitationes biblicae. Liber *Iobi σιχνεως* aliquoties graece excusus est, vti *Psalmos* edidit *Potkenius*; ista in manuscriptis diuisio sententiarum mouit iam olim quaestionem, *de poesi Hebraeorum*, quam post *Hieronymi* parum iustum opinionem, Franc. *Gomarus*, Marcus *Meibomius*, *Franciscus Hare* (Psalmarum liber in versiculos metrica diuisus - - cum dissertatione de antiqua Hebraeorum poesi &c. *Londini* 1736. 2 vol. 8.) paulo inuenustius tractarunt, vel eo tamen nomine non omittendi, quod elegantissimis viris, *Lowthio* Anglo, *Michaelis*, Goettingensi, et *Tellero Helmstadiensi*, occasionem suffecerunt, *de poesi* et carminum genere inter hebraeos haud paulo meliora periendi. De *Dramate Iobi* bene non pauca

56. LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

Wesley praecepit, dissertationibus in *Iobum*; quā et continuae in librum istum *criseos* utile exemplū praeiuit.

§. XIII.

Latīnae.
translatio-
nes. V. T.

De latīnis vetustioribus translationibus non opus est, vt multis agamus. Editionum meliorum cura non negligenda et illa opportunitas, si quis possit, amplectenda, vt Nobilii animaduersiones ad editionem *Sixtinam* graecam, in *londinenibus* polyglottis recusas, et *Luc.* Brugensem adhibeat; aut *Sabateriū* maius opus, quo latīnorū bibliorum omnia fragmenta V. T. colligit, et cum *vulgata*, quae est in omnium manib⁹, ordine composita. Ex *Hieronymo*, *Origene*, aliisque constat, hic ibi oīm graecam translationem fuisse copiosiorem, quam visitatum illud hebraicum exemplar; itaque etiam latīnae versiones non raro plura continebant. Nec desunt vestigia plurium apocryphorum librorum quibus graeci Iudaei praeципue solebant vti, quos et sacro corpore simul videntur comprehendisse; nec iam dubito *Rich. Simonio* accedere, graecos Iudeos alio canone sacrorum librorum usq; fuisse, quam Hebraeos, seu *Palaestinenses* et *Babylonios* Iudeos; nulla vero cogit ratio, latinos christianos recte fecisse, quod non raro praetulerunt canonem Iudeo-graeum. Inde certe repetendum est, quod per priora secula christiani apocryphis libris vel ad publicam lectiōnem (*catechumenorum* in gratiam) vtebantur. Cum vero *Origenes* atque *Hieronymus* hebraicis vterentur doctoribus atque administris biblicorum studiorum: horum indicio dicerunt, apud hebraeos Iudeos tales libros non haberí, vnde iam distingui ab eruditioribus coepērunt. Paulo vero post aliter placuit ecclesiarum statoribus plerisque, qui a liberaliori eruditione abe-



aberant; atque ecclesiasticis legibus maior ille librorum, qui ad V. T. pertineant, canon fere confirmatus est, quia rudi plebi videbatur melius conuenire. Simili ex ratione etiam *Apostoli*, et post eos alii doctores, *Tertullianus*, *Clemens alex.* ipse *Origenes*, non raro vñt sunt vulgatis iam sententiis, quae ex Apocryphis *Enochi*, *Esdrae* &c. desumptae erant. Quod nulla ratione potest reprehendi, si quis ea tempora recte fingat; sed illud omni ratione caret, quod ausi sunt quidam legibus imperiisque sacrī efficere, vt ne secuta per tempora hominum ingenua studia iisdem illis adiumentis umquam carere possent.

Illa autem *vulgata*, quae iam praecipue in usu est, ad *hebraicum* textum maxime fuit conformata; qua carere non potest, quotusquisque de hebraici textus vetusta historia velit statuere; nec illa barbarica, quae hic ibi inest, species, liberalem hominem moueat, vt vltro abiiciat eam translationem; quam vel *Romana* ecclesia non hebraico textui omnino preeponit; licet *authenticam*, suo jure, eam per concilium *tridentinum* edixerit. Lepida autem caussa fuit, qua fallibilitatem Pontificum romanorum solebant nostri exagitare, quod *Sixtus V.* et *Clemens VIII.*, contrariis studiis in emendanda vulgata, vñt fuerunt; quam in rem *Iamesius* (bellum papale,) *Hodius*, et *Sixtinus Amama*, in *antibarbaro biblico*, relegandi sunt. *Theologi* protestantes solent plerumque aliam partem excutere, quae ad rem criticam nihil fere pertinet.



PARS II.

De libris N. T.

§. XIV.

De libris
N. T.

Ad libros N. T. liberaliter interpretandos primum omnium opus est, ut de *graeci textus* ingenua caussa sollicitus sit interpres; minime addictus editionibus N. T. quia *omnes editiones* partim scatent lectionibus falsis et iunioribus; partim vocum et sententiarum minus aptas coniunctiones continuant. Discamus igitur ipsi hos libros ex se ipsis, ex apocryphis et vetustissimis quibusdam christianis scriptoribus interpretari. Colligendae sunt omnes phrases de iisdem rebus, et historia requirenda est eius temporis; quam in rem *Tertulliani*, *Clementis*, *Origenis* libri, et pauci alii auctores utiliter adhibentur. (Lib. I. §. 43.) Nec impediri fas est, dogmaticorum compendiorum et systematum auctoritate; optimi enim Theologi huic litterarum generi minus fere adsueti fuerunt, per temporum suorum rationem. Igitur ad systematis sui modum trahere solebant has illas sententias, non pauci ista *fidei analogia* immoderatus vi. Solet enim a multis statui, obtinuisse iam Apostolorum tempore hanc eamdem seriem et copiam sententiarum, quae ad describendum e. c. articulum de trinitate, persona Christi, de lege, de iustificatione, de praedestinatione, contra Arianos, Socinianos, contra Pontificios, Caluinum &c. successu temporis recte coniungebantur. Hac ratione etiam commentarii christiani in N. T. inde a seculo 16 turgent fere iis rebus, controversis, sententiis, quae eo tempore maxime agebantur, quo commentariorum

auctores

LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR &c. 59

auctores viuebant. (Lib. I. §. 45. 46.) Facile autem intelligitur, post tam multa, varia, et contraria studia, quae inde a primis seculis ad nostram usque aetatem locum aut habuerunt aut quaesiverunt, longe plura a nobis non iam intelligi et distingui non posse, quam primo illo tempore, cum Paulus scriberet ad Romanos, Corinthios &c. aut *Brentius*, *Zwinglius* &c. ederent in N. T. libros, commentaria. Sed ad communem usum et fructum ista pertinent, non ad liberalem et historicam seu veram interpretationem. Nos enim debemus vitare falsas opiniones de praedestinatione, de eucharistia, de persona Christi &c. sed illae descriptiones, quibus id inter nos hodie consequimur, non iam a Paulo ad suos lectores adhibitae fuerunt. Ceterum magis placet superiorum temporum moderatio, cum ad partitionem libri vel epistolae auctores accedunt, quam quorundam recentiorum nimia *ἀναρτεία* in *analyse* et *divisione* sententiarum; qui id quidem facile prae se ferunt, ipsis non deesse eo in genere exercitium aut studium; sed illud persuadere nequeunt, ut statuamus *Apostolos* et lectores vetustos sua mente ipsos concepisse eius generis divisiones. Huius autem rei illud non reprehendimus, quod ad exercitium et perfectionem ingenii facit; sed illud displicet, quod sententiarum coniunctio et oeconomia nimio artificio illo eo faciliter corrumpitur, quo magis placere illa studia suis auctoribus solent.

Sunt autem de libris N. T. *canonicis* satis iam compositae sententiae, ecclesiarum certe auctoritate, quae facile τοις πολλαῖς sufficiat; licet non desit ratio, de quibusdam aliquem ipsum requirere, et usum librorum publicum similiter distinguere, quemadmodum e libris V. T. non omnes eamdem ad nos utilitatem praestant, cum non insit cunctis eadem

60 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

eadem indoles. De *Apocalypsi* certe difficilis est quaestio, quo libro non pauci olim ecclesiastici scriptores numquam ad populum vni sunt; de *Crysostomo* satis constat; *Tychonius*, afer, spiritualem interpretandi rationem tandem persuasit *latinis*, quam *Nepos* olim, Aegyptius episcopus, locum habere posse studiosissime negauerat. Itaque non est, vt difficilem et vehementem dicamus sententiam, si quis malit aliorum sacrorum librorum certo vnu adiuuari; neque enim piaculo cantum est, vt cunctis libris N. T. vtamur hodie aequali et eadem ratione, cum vetustior ecclesia illud discrimen seruaverit; atque eius generis liberales sententiae sub seculum XVII adhuc inter nos non rarae fuerunt. Ista autem exercitationes, quibus ad *criticam* facultatem iuuamur, hoc tempore praecipue reducuntur, quas *Erasmus* iam luculenter commendauerat. Regulas, quibus opus est, paucas scripsit *Wetstenius*; quibus nuper adiecimus *epitomen* ex *Bengelii* introductione; his praecepsis si quis diligenter vtatur, et legat *Erasmi* annotationes, facile eam facultatem sibi comparauerit, qua opus est. *Millii* autem editione N. T. *Bengelii* apparatu, et *Wetstenii* N. T. vix carere potest, qui horum studiorum quasi fines proferre voluerit; ex iis certe variarum lectionum indicia desumenda sunt; addi autem multa adhuc possunt, e patribus, et translatiobibus. *Codicum* graecorum ingenia studiosius requirenda sunt; ne falsa auctoritate decipiamur. De variis rebus, quae ad hanc caussam pertinent, admonui in *praeparat. hermeneutica* parte 3. atque in quo libello aduersus Reuer. *Goezium*, de *complutensi* editione N. T.

Phrases graecae satis diligenter omnes colligendae, etiam ex *variantibus lectionibus*; ex apocryphis, praecipue N. T. seu graecorum Iudacorum;

rum; hac ratione haud paulo certius historica interpretatio adiuuatur; de adiumento interpretandi e patribus, dictum iam est alibi. (Lib. I. §. 43 seq.)

§. XV.

Iam accedunt translationum, vetustiorum praecipue, ministeria, licet nec recentiorum conatus contemnendi sint. E vetustioribus, quas hic repetere non opus est, (Lib. I. §. 47 seq.) tempore etiam praestare videtur *latina*, satis incorrupta, carrens certe iuniorum temporum opinionibus et dogmatibus; eius stilum et morem adiuuant partim aliae *latinae* partes, quae supersunt, interpretes *Irenaei*, *Hermae*, epist. *Barnabae*, *Clementis Rom.*, partim *Tertullianus*, *Cyprianus*, quaedam *acta Martyrum latina*, atque *africanae* aliae scriptiones latinae. Eadem simplicitas atque ingenua paupertas in *syriaca* translatione priori inuenitur; nec *aethiopica*, *coptica*, *arabica*, (4 Euangeliorum, Romae,) *armena*, hanc caussam minus adiuuant. Consequemur autem illud hac via, quod esse videatur eximum et satis frugiferum: ut redeamus quasi in historiam christianarum εἰσιτηρίων, et imitemur liberalem illam consuetudinem, qua christianam religionem longe et late olim proferre, sine peregrino et barbaro ministerio, contingebat. Pauciora enim solebant intelligendo atque distinguendo comprehendti; sed pleraque omnia ad vitae christianaे fructum ingenua mente refrebantur. Rarae igitur caerimoniae erant, seu symbola earum rerum quas animo solebant voluere. Successerunt autem infausta illorum studia, qui a *martyribus*, sanctis, reliquiis, repetebant nouas religionis partes; longam et variam caerimoniam *baptismi*, et sacrae coenae; noua symbola doctrinae de Trinitate contra *Arianos*, de Christo, contra *Nestorium* et *Eutychen*; his

De translation. N. T.

62 LIB. II. INSTITVTO BREVIOR

his decretis *fides* aucta, (*fides* non id significat, quod inter Protestantes,) atque in scriptura sacra iam ea omnia reperiri oportebat, quae tamen ea tantum sequitur et repetit, quibus homines salubriter emendantur; quam in rem istae nouae descriptiones conferebant nihil. Ingerunt iam et *Ariani*, *Pelagiani*, *Nestoriani*, *Iacobitae*, *Iconomachi* contraria omnia in SS, quae solebant a *catholicis* ex illa suam in rem requiri. Atque haud dubie *catholici* vicerant, ecclesiastica potestate, qua *αὐτοριτάτοις* istae quaestiones possunt circumscribi, aduersus istos alios usuri, et anathematum auctoritatem civili vi adiuturi: nisi sub regibus *Gothorum* et *Wandalorum* *Ariani* doctores; sub *Muhammedanis* autem *Califis Nestoriani*, *Iacobitae* &c. suorum sacerdotum ius saluum habuissent, sicut Imperatorum saepe non raro *Iconomachi* fuerunt superiores. Crevit autem ista ecclesiastica ad interpretandum auctoritas, *catholicis* sub Regibus et imperatoribus, qui Episcoporum et Monachorum variis ministeriis ad fines imperii inter exteras gentes proferendos carere non poterant, ista certe specie utebantur, religionem christianam populis vel inuitis esse obtrudendam. Rebus sic comparatis, et linguarum omnis peritia periit, (cum latinis latina, graecis graeca ad religionis hoc exercitium publicum sufficeret;) et cetera humanitatis studia quasi piaculi vitandi caussa, euauuerunt; ne decreta et dogmata, quae semel ecclesiastica auctoritate sancta fuerant, quaerendo et dubitando viderentur conuelli. Iam nemo est, qui miretur, tot per secula ad interpretationem SS, atque ad religionis internae exercitium promouendum, non solum nihil prouenisse adiumenti, sed etiam spiritualem omnem indolem Christianismi oppressam, externarum autem caerimoniorum copiam et molestam sedilitatem per omnia secula auctam fuisse.



iffe. His institutis, quantumuis illepidis et minus ingenuis, si quis ipse vti nollet, (quia deesset SS. auctoritas, quam nec conciliorum nec patrum, quos iactabant, in interpretando errantium multitudo, praestare posset;) et christianam religionem carere tot crepundiis, quod ad ipsum atque alias attineret, posse statueret: *Haereticus*, infamii atque infasto nomine, notabatur; nec enim licebat sua aliquem conscientia vti; et si licebat fere vitiis et sceleribus deditum esse, modo *fidelis* esse non defineret.

§. XVI.

Ab hoc loco non videtur alienum esse, operam aliquam adhuc dare huic caussae, quae est eximii ad rem christianam promouendam momenti. Externa potestas atque auctoritas, qua *ecclesiastici* homines solebant inde a quarto seculo vti, perpetua fere impedimenta attulit liberalis in SS. eiusque usum studii. Cum enim christiana religio, fere omnis haud scio an dextris auspiciis, longo caeremoniarum tractu iam constaret, quarum ministeria inter Episcopos et minores ministros satis sapienter diuidebantur: rarus ille scripturae sacrae usus ipsa hac sanctarum caeremoniarum mole corrumpebatur, quae in locum eruditio[n]is et liberalis ingenii successit. Temp[or]a christiana iam a seculo quarto simillimam sacrorum pompam ostentabant, ac ea Graecis Romanisque non christianis fuerat in usu. Ipsum religionis consilium non amplius ingenuum fuit et sanum; externe societatis sacrae cura vnicore valebat. Contra superstitionem daemonum, inferorumque metum, ab hac religione praecipuum remedium praestari credebatur; excusabimus facile modestam et non improbam industriam, quae fuit in ethnicos illorum temporum hac συγκαταβάσει collata. His contra daemones, quos adferebant, crucis frequenti signo,

Impedi-
menta me-
lioris inter-
pretationis
publica.

64 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

signo, thure, et reliquiis sacrī, opus fuerit; his tales
 fructus e baptismo et saera coena spondere licuerit,
 vt nec hic a daemonibus, nec olim apud inferos
 timere necesse fuerit, aut vt breuitate certe illius ex-
 perimenti se consolari potuerint. Sed hoc vltro
 ineptum est atque illiberale, ad plebis et populi im-
 periti superstitionem, pleramque omnem religionem
 sic componi, vt nihil supersit πνευματος; erectio-
 ribus autem et sanis ingenii imperari eamdem inue-
 nustam trepidationem, quasi partem doctrinae cæ-
 lestis. Expectauerint isti ex ethnicis miraculorum
 quasi consortium; sed omnes christianos hac incerta
 religione suspensos teneri, et vniuersam rem chri-
 stianam fere contemtui et ludibrio ad λογιμας ex-
 ponni, fas non fuit. Duplici igitur malignitate labo-
 rauit christiana religio; imperitam plebem illiberalis
 Supersticio corrupit; clericos autem et sacros mini-
 stros inferioris ordinis, Episcoporum improba auctoritas;
 qui aut plerique omnes in comitiis quasi
 sacrī conuenire solebant, (in conciliis,) atque
 anathematum mutuo auxilio se aduersus minores
 ministros cunctos defendere; aut singuli dioceſanis
 iuribus abuti; partem certe ciuilis potestatis offi-
 ciales episcopi administrabant. Prouinciarum enim
 iam domini, per Regum et principum munificen-
 tiam, facti, cunctos in subiectos eam potestatem
 exercent, quae et a Christo et ab Apostolis et a pri-
 mis eorum successoribus absuit. Ecclesiasticas leges,
 canones, et decreta impotentius sanciunt; imperato-
 rum autem et principum auctoritas facile accedebat,
 quae ab ecclesiastica illa societate et adiumenta et
 impedimenta pari fere iure experiri poterat. Ita-
 que, quod ad hierarchicam istam societatem atti-
 net, Christi illa commoneſatio, beati effis, si no-
 minis mei cauſsa hac illa ratione male auditis,
 vexamini &c. locum amplius non habebat, niſi

inter



inter laicos, aut probiores quosdam rei christianaee ministros. Hic si quis dissentiret a vulgatis opinio-nibus, excommunicatio statim intercedebat; nihil hic πνευματινος, quasi Petrus illud non admonu-isset, μη κατακριευοντες των κληρων. Itaque stabili quadam et firma ratione, scripturae sacrae fel-licior interpretatio, et faustus tantae rei successus, iam impediebatur. Requirat autem aliquis, si ve-lit, ex conciliorum canonibus, Symbolis et decre-tis, illa *dogmatica* argumenta, quorum ex scriptu-ra sacra solebat creberrima adpellari auctoritas. Non accusabimus inuenustum illud nomen, δογ-mατα, quod et ipsum erat parum fausti ominis, imperii potius et mandati indicium; ἐδοξε υμιν, visum est nobis ista statuere atque praecipere; cuius rei prouincia non male ad omnes imperitiores patebat. Sunt autem ista fere a seculo 4to dogmata concilio-rum et Symbolorum, quae cuncta volunt ex SS. iusta interpretatione collecta esse, meliora, δμοσια filii, et γεννησις αιωνιος μυστηριων, μια Φυσις ενσαρκω-μενη, duo Φυτεις εν μια υποστασει, coniunctae na-turae ασυγχυτως, αχωριστως, qualibet faciente quod suum est; sequiora, gratiae auxilium quo, fortius isto, sine quo non; praedestinatio, originale peccatum; an filius hominis sit *adoptiuss*; an spiritus S. a pa-tre *filioque* procedat, de imaginibus sanctorum ho-norandis; decies centena millia *anathematum* e for-tibus lateribus in conciliis clamata, caedes et incendia, prout aut catholici aut haeretici isti videbantur alias vincere posse. Myriades legum de exorcistis, lecto-ribus, subdiaconis &c. de ministerio altaris, baptismi, de vestibus et vasis sacris, de cantionibus, de ieunio, de alleluiah; de potestate Episcopi dioecesani, Pa-trarchae; contentiones acerrimae de *appellationi-bus* ad romanum pontificem, de eminentia romani episcopi pre constantinopolitano; de *Azymo*; de

II. Lib.

E

tonfura



66 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

tonſura, de monachis, de ordine horarum canonica-
rum. Accesserunt sensim in latina ecclesia pestiferae
multae ſacrae conſuetudines et opinioneſ, de purga-
torio, de missa pro defunctis, de peregrinationibus
ſacris; de roſario Mariae; indulgentiis; diſpenſationeſ,
exemtioneſ; lites et iurgia ordinum mona-
ſticorum, qui de praefantia ſacerdotum nouorum
altecantur. Tandem miraculorum infinita turba et
infanae vitae ſollemnis fere turpitudo. Harum re-
rum rationes omnes hi doctores atque interpretes ex
ſcriptura ſacra repetant; facile igitur intelligi potest,
quantum impedimenti ad ſalubrem ſcripturae ſacrae
uſum per omnia iſta ſecula accesserit. Si iſta omnia
in apostolorum ſcriptis habebant rationem: fieri
non potest, vt fit illorum diuina, catholica et libe-
ralis indeoles, quae ad omnes homines uſum et con-
ſuetudinem πνευματος transferat. Arbitramur au-
tem operaे pretium fore, si quis ſimile corpusculum
ex iſtorum ſeculorum latinis monumentis me-
lioribus diligentius colligat, quam Flacius illo Ca-
talogo teſtium veritatis instituit, cuius generis quaedam
et Wolfius collegit, in lectionibus memorabi-
libus, et Orthinus Gratius, in fasciculo rerum
expetendarum; quam in rem vel e Scholasticis be-
ne multa repeti poſſent, (quemadmodum Dorscheus
Thomam Aquinatem, veritatis euangel. confeſſo-
rem informauit;) item ex censuris et ſententiis
contra latinos haereticos, (quorum nomina alii inter
martyres non male retulerunt;) iudiciorum de no-
uis erroribus collectionem e Romanis iſpis d' Arg-
entre curauit. Ex iſtis monumentis facile redibit
christianae libertatis iustum instar, atque turpitudo
illius ministerii clarius apparebit, quod hic ibi vide-
tur multos adhuc fallere, qui ipsam christianae re-
ligionis veram indolem ſe adiuuare putant, ſi gnauiter
dant operam, vt a vulgatis interpretationibus opi-
nioni-

nionibus et decretis theologorum superiorum nemo recedat.

Ipsam arcem corruptae et impeditae olim disciplinae theologicae his admonitionibus attigimus; atque suasores autores que sumus, ut liberalis rei theologicae arbiter futurus euoluat hic *conciliorum* aliquot volumina, *graecorum latinorumque*; attendat ad ingenium, animumque scribentium; observet illud *satellitum*, quod civilis iuris ordinem et processum imitatur; perspiciat modum agendi, plerumque incompositum, saepe barbarum. Inde e vitis Sanctorum aliquot volumina vel leuiter verset, atque monumenta *monastica*, formulas donationum, quae iam *Marculfi* tempore parum venustae sunt; post eum vero haud paulo ineptiores occurserunt; ex multis vel paucas hic recensebo, ut facilius intelligi queat, operae esse pretium. Millies in chartis monasticis occurrit: *vt amicos nobis faciamus*, de Mammona iniquitatis, a quibus post hanc vitam in aeterna tabernacula recipiamur, donamus &c. Filium nostrum, *sacrae regenerationis mysteriis* innouandum a vestra paternitate destinauimus; quod de baptismo d'*Acheri* aliique eruditus falso interpretati sunt, cum tradatur hac formula in monasterium; vestem monasticam induere, est illud, quod *nous homo* à Paulo dicitur. *Moguntinus* aep. rogat Papam, ut *gladio spiritus Sancti* rebellis Thuringos ad decimas cogat; quia *decem sunt praecepta*, decem agri mansos aliquis donat; *poenitentia* in monasteriis praeципue locum habet, consistit autem in exercitiis corpori molestis &c. Itaque latini illi scriptores, qui usque ad secul. XV. XVI. audent scribere commentarios libros in scripturam sacram, istis sententiis dant operam; paucis exceptis, *Ioachimo*, abbe Calabriae, et quibusdam anonymis; e *Spiritualibus* fratribus iam multi contra

E 2

Papam

68 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

Papam Apocalypsin interpretantur, et *aeterno Euangeliō* se aliosque consolantur; Papae autem et ecclesiae monarchiam *Franciscus*, et fratres minores plerique fortissime tueruntur, conficta *imitatione Christi*, quae *Euangelii* omnem indolem pervertit.

§. XVII.

Iam rudimenta melioris interpretationis cum Commen-
tarii in N. ipsis litteris liberalibus redibant; sed ita, vt a par-
T. sec. 16. vis initii ea res mediocriter succederit; quare non parum errant, qui perfectissimum interpretandae SS. N. T. exemplar ex seculo 16. ad nos translatum eunt. Immanitas superstitionum et vulgata ad plerosque turpitudo hic ibi meliora ingenia sensim quasi e torpore suscitauit; quae inter *Erasmus* praecepue eminuit, qui et exemplo et grauibus admonitionibus eam caussam maxime illustravit; cuius et *notas* et *paraphrases* et *apologias* commendare adhuc ius fas est. Eo partim praeceptore, partim liberalis animi exemplo plures vsi, haud paulo, quam antea, melius N. T. illustrare ausi sunt; imitati autem eum videntur, *Melanchthon*, *Ioach. Camerarius*, (notationibus figurarum per libros N. T.) *Strigilius*, in hypomnematis. *Exegeſeos* melioris exempla *Lutherus*, *Brentius*, aliquique magno iam numero, ediderunt; quos hic longo ordine recensere non est nostri consilii. Inde ad nos vsque non defuerunt, qui aut *philologicis* et *grammaticis* notis, aut commentariis copiosioribus dederunt operam; nec neglecta est *Hebraismi* indoles, cui sub finem eius seculi omnium maxime studuit *Drusius*, in annotationibus in I. C. N. T. quem postea alii multi secuti sunt sic, vt nihil fere deesse videatur, ad iustum N. T. interpretationem, si quis suis et studiis et exercitiis ipse non desit. Nec enim exigua et



et breuis temporis sufficit eam in rem consuetudo. Videtur autem illud praecipue esse animaduertendum, I) commentarios seculi XVI. maxime locum quaerere aut facere reprehensionibus vitiorum et peruersitatum sui temporis; salubria pleraque omnia praecipiunt et admonent, contra fallas opiniones papistarum, anabaptistarum, cet. nec desunt animadversiones in *Zwinglium*, *Caroloſtadium*, *Oecolampodium*; *Antinomos* &c. Nempe ut hic ibi aduersae sententiae, fere per decennia aliae, probabantur: non defuit ad eas responsio; contra *Interim*, *Osiandrum*, *Synergistas*, *Flacianos*, *cryptocaluinistas* &c. Istae commonefactiones tempori isti non raro conueniebant; sed sensum earum sententiarum non declarant, quas dixit Christus, aut scripsit Paulus. Similiter sec. XVII. domesticarum peregrinarumque litium et controvuersiarum copia cunctis inest commentariis. Nec isto vitio, liceat a nobis sic appellari, quia nobis vitandum est, caruerunt *Zwinglius*, *Caluinus*, *Pareus* &c. nimis multa et contra *Pontificios* et contra *Lutheri*, postea et contra *Arminii*, scholam inseruntur. Satis autem iam constat, vniuersam Romanorum sacrorum eius praecipue temporis indolem fuisse contrariam christianaee omni religione; ab externa enim potestate, non vero a liberali rerum et rationum ministerio pendebat. Ad populum itaque ius fas imo opus fuit, reprehendere istam peruersitatem; sed ad eruditionem, quae novis semper intelligendi et reperiendi successibus continetur, parum interest, eius temporis legisse multos commentarios. Itaque pauci eo maxime consilio legendi sunt, vt animi iustam fortitudinem et liberalem veri adiuuandi confidentiam ab ingenuis exemplis colligamus, temporum autem, quae eruditionem simul omnem non ferunt; indolem distin-

70 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

guamus, de eo plane persuasi: superesse eorum, quae nostrae aetati praecipue reperiunda sint, non parvam copiam. II. Omnes commentarii sec. XVI. XVII. graecae linguae iusto ministerio fere carent; ad Latinas interpretationes fere compositi, saltim a græca coasuetudine adhuc satis alieni, qua *Castellio* videtur vel *Beza* superasse. Logicis autem et rhetoriceis partitionibus solent multi dare operam, quae nobis iam fere minus utilis esse videtur; quemadmodum dogmatica et polemica copiosior tractatio impediit omnem illam diligentiam, qua ad historiam textus, ad scripturae græcae integriorem et veram rationem reperiendam opus est. Itaque vana iam est multorum industria, quam olim aut singulis vocabulis impenderunt, et particularum emphasi, aut in sententiarum discrimen molesta sedulitate contulerunt. III. *Hebraismi* vim, et si nec *Erasmus* plane neglexit, nec *Melanchthon*, et *Camerarius*, nec *Beza* et *Castellio*, et *Drusius* et *Heinsius*, tamen pauciores interpres fecuti sunt; itaque ad *Grotii* notas multi fere stupuerunt; quam rem *Ligtfootus*, *Schötgenius*, aliquique quidam, haud scio an semper melius, copiosius certe, tractarunt. Diligentius antem nostra aetate multi græcorum exterritorum scriptorum phrases compararunt; quos inter non pauci operae vix pretium ad nos consecuti esse videntur; inter *Anglos* vero quidam iudicandi facultate potius vsl, quam multa sedulitate, ad soberium interpretandi genus viam præciverunt, quae multis ideo minus placet, quod dogmaticorum consuetudo non parum conuellitur; christianae certe vitae adiumenta per istos interpres nulla pereunt, ipsius autem religionis ad alios homines auctoritas minus forte impeditur, quam pertinaci domesticorum rerum studio.

Pertinent



Pertinent autem hoc multa illorum nomina, quos iam p. 49 seq. excitabamus; accedunt autem et multi alii, quorum quidam 1) omnes N. T. libros adiuuant, *Beaufobre*, et *Lefant*, (iste et *notas* reliquit non vanas,) *Whitby*, (cuius tamen *ultimae cogitationes* ab ista paraphrasi omnino recedunt;) *Hammondus* et *Clericus*, *Bengelius*; inferioris autem loci sunt, et si non infimi, *Wolffius* in curis; *Harduin*, Iac. *Faber*, stapul. *Beza*, *Pricaeus*, *Knachtbull*, *Croius*, *Elsnerus*, Alex. *Morus*, *Homberg*, Lamb. *Bosius*, et quos in fasciculum coegit, Ioh. Alb. *Fabricius*. Alii 2) in 4 Evangeliorum harmoniam commentati sunt; *copiosius*, triumuii, cetera bene meriti, *Chemnitius*, *Lyserus*, *Gerbardus*, in *harmonia* quatuor euangelistarum; germanicis libellis mereri studuerunt, *Hauberus*, *Sandhagen*, *Strubberg*, *Bengelius*; plerique autem *harmoniarum* auctores *Andr. Osiandri* opus solent imitari iusto fere studiosius, licet praecipua utilitas nulla existat. Θεοπνευστικas autem falsae imagini adhaerent, qui difficillimam illam harmonicam disciplinam repererunt. Commendare tamen ausim et *Whiston* et *Clerici* studium, et maxime Bern. *Lamii* opus; licet nec *Caluini* nec *Iansenii* diligentia sit contemnenda. Nolim vero aliquem molestam hic quorumdam diligentiam imitari; nec enim eo consilio scripserunt Euangelistae, vt omnino quatuor narrationes ita componamus, vt, si qua exstet narrandi diuersitas, de aliis nouis rebus, bis aut ter narrari statuamus; licet tamen suo ingenio aliquem abundare, modo aliis seuerum praeceptorem se non obtrudat. Ita enim ad σοιχεῖα τὰ κοντρὰ pertinet. Quatuor *Euangelia* etiam illustrant *Maldonatus*, Fried. *Spanheimius* in *dubiis* Euangeli. qui et exercitat. Euangeliicas scripsit, cuius generis et *Abrahami Sculteti*

libri duo habentur; in *Matthaeum* copiam multam collegit Gottf. *Olearius*, et *Pfaffius*; in *Iohannem* copiosissime *Lampius* scripsit, sed hic ibi minus liberaliter; *Heinsii Aristarchus*, in *Nonni* paraphrasin graecam valet; In *aetate apostolorum* eminet *Lindhamerus* et *Limborchius*; sed super sunt multa minus expedita, quorum partem *Bensonius*, in historia primae plantationis christiana religionis, attigit. In apostolorum epistolas, *Bened.* *Iustinianus* collectarum rerum copia non vana eminet; etiam *Oecumenii* graeca, et *Gagnieii* latina catena; *Pauli* historiam *Pearson* in annalibus et *Witsius* optime illustrant, sed nondum caussam omnem explicant; phrases difficiliores, sed non satis feliciter, *Jac.* *Laurentius* coegit, (Paulus *dixit* *entes*); in Epistolas ad *Rom.* *Corinth.* *Galat.* *Ephes.* praeiuit accuratum exemplum *Lockius*, quem secuti sunt alii; in epist. ad *Coloss.* *Philip.* *Hebr.* *Pierce*, ad *Philem.* *Thessal.* *Timotheum*, *Titum*, *Benson*; Epistola ad *Romanos*, (quam recens *Taylor* explicatum iuit,) longe plurium auctorum ingenia exercuit, quorum multi inde ab *Augustino*, *Lutheri*, *Calvino* &c. *praedestinationis* aliquam disciplinam repererunt, quae a Pharisaeorum quidem aut *Stoicorum* quorundam schola minus abhorreat, quam a doctrina Christi. Non est autem, quod miremur, *Paulum* sententias alias *κατ' αὐτὸν* scripsisse; id certe non voluit, ut difficilia sacra inde ad nos instituantur. Ad *Galatas* illam epistolam *Lutherus* eximie vindicauit contra Romanorum sacerorum corruptionem; idem tamen et nobis reliquit, quae longe accuratius ei tempori aptemus, quo Paulus scripsit. Minores Pauli epistolas celeberr. *Michaelis*, Goettingensis Professor, bene illustravit; quod exemplum non dubito plures secuturos esse. In Epistolam ad *Hebraeos* multi, *Cocceian*; praincipue, graviter

viter commentati sunt; e recentioribus non parum lucis attulit ex *Philonem* venerab. *Carpzonius*; commentario autem doctiss. *Cramerus*, *Hafniensis*; nec nos nihil reperisse opinamur, in additamentis ad *Baumgartenii* commentarium; illas ad *Corinthios* Ven. *Noesselt* non parum, post *Baumgartenium*, illustravit. Nec deesse videntur, quae ad minores epistolas *Pauli*, quae sub prelo sunt, adiificantur, si otium suppetat. In *catholicas* sive canonicas, quod ad phrasim attinet, Georg. *Bensonii* studia eminent; *Whiston Iohannis* epistolas non negligenter illustravit ex *Gnosticorum* disciplina; ceterum dicere fas est, ex aliquibus harum epistolarum longe pauciora hauriri posse, quae ad christianos informandos faciant, quam ex aliis. Nec ex ingenti eorum numero, qui ad *Apocalypsin* sua aut studia attulerunt aut ingenia, multi sunt, quos commendare sit operae pretium; verboſissimus est *Hoë*, libris 8. commentariorum in fol. Mitior *Vitrina*, quam *Cocceii* plerique amatores; vehementior et quasi nouus vates *Bengelius* in *Apoc.* *Daubuz* nouum institutum videtur sequi, sed plerique omnes, ecclesiae per omnia secula fata eo libro portendi statuunt; quorum hypothesis minus tandem placere possit; de qua re ad *Wetstenii* libellos *ad crisim* et interpretationem N. T. quaedam dixi; quos libellos, cum adiuncta *Epitome* ex *Bengelii* introductione ad crisim, commendo; praecipue autem de interpretatione omni Vener. *Ernestii* institutionem frugiferam dedit; cuius fere exemplum nondum exstitit; licet alia nomina non contemnamus. Supersunt autem *Socinianorum* multi scriptores; *Ioh. Crellius*, *Ion. Slichtingius*, *Wolzagen*, *Prczipecouius*, *Socinus* ipse &c. e quibus non pauca utiliter coeunt, ad mentis aequam indolem comparandam, licet bonis verbis fere soleant magis

74 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR &c.

quam rebus abundare isti scriptores. Iam longo numero sequuntur alii scriptores, qui has illas partes N. T. siue carptim, siue copiosius, explicant, e quibus multi iam supra fuerunt ad V. T. appellati; ad N. autem accedunt, Vener. *Walchius*, et doctissimus filius, antiquitatum in *Actuum apostolorum libro collector*; *Moshemius*, Car. Henr. *Lange*, *Raphelius*, et qui eius exemplum secuti sunt, multi. Haud scio an operae pretium sit vtraque ex parte legisse eos scriptores, qui de stilo N. T. graeco in varias abierunt sententias; quos partim *Iac. Rhenferd* colligit, in syntagmate dissertatt de stilo N. T. partim *Taco Haio van den Honert*; eminent certe *Job. Vorstius*, de *hebraismis* N. T. e plerisque omnibus; minoris autem momenti sunt, *Blakwalli* auctores sacri classici, latine per *Wollium*; et aliorum opera, qui *Hebraismos* amoliri iusto studiosius solent. Scimus enim, olim libros N. T. *barbarismis* et aliis sermonis vitiis multo minus caruisse, quam nunc, postquam presbyterorum variis studiis graeca phrasis varie mutata fuit. Ex his aliqui auctores sufficiunt informandis his studiis; vel ii, qui in *criticis sacris* habentur; ceteris subinde opus est, ne aut videamur primi aliquid reperisse, quod iam fuit ab aliis obseruatum, quae res non parum facit ad persuadendum; aut careamus varia opportunitate, proferendae cognitionis atque exercitationis hermeneuticae et amoliendarum difficultatum, quas, qui mordicus tenent et defendant, parum frugiferam praestant operam.

CAP.



CAP. III.

De Theologia Dogmatica.

§. XVIII.

Observauimus iam plura Lib. I. §. 59 seqq. De Theologia dogmatica summa antiquiore pertinere; supereft, ut paulo proprius matim. eam cauſam illuſtremus. **P**rimum omnium de eo facile conſtat, referri hoc eruditioſis genus, (pars enim est eruditioſis, quae omnium eſſe non potest,) non ad omnes christianos, ſed ad illorum claſſem atque ordinem, qui religionis christianaे miniftri atque adiutores ad alios homines eligi ſolent. Completetur igitur cognitionem historiae et cauſarum disciplinae theologicae, quae partim olim locum habuit, inter varias christianas ſectas, partim noſtro adhuc tempore hanc illam ſectam et ſcholam ab aliis diſtinguit. Cum vero ſuos ſequi ſoleant ſectae auſtores, atqui hi, pro temporum et rerum, quae eos circumſtabant, varietate, conſilia atque ſtudia ſua adhibuerint: facile patet, rem fere praecipue ad iura et commoda redire externae ſocietatis christianae, quae plures in partes, quaſi vniuſ corporis membra, iam olim ſolebat eſſe diuifa. Nec fere aliter res habere potuit; ecclēſia, ſeu christiana ſocietas, occupat externam ſeu ciuilem ſocietatem, cuius ciues a Iudeorum ethniſorumque religione olim in nouam hanc christianaē ſeceedebant; cuius ingenua indoles iis praeceptis exercitiisque continebatur, quae ad pauciores referebantur doctores et ſuafiores, qui hic ibi huic ſocietati, iure non eodem vi, praerant. Hi eti de iisdem omnes rebus trabeant,

debant, vnum tamen atque eundem modum prae-
piendi obseruare non poterant, si cum Iudeis res
esset, cum ethnicis, cum imperitoribus, cum aliis,
qui non erant ex rudi plebe. Videmus autem in
Palaestina, ad sedulos Iudeos doctrinae modum
Apostolos fecutos esse alium, quam quo solebat
Paulus vti inter gentes alias; atque vel ex *Pauli*
querelis intelligimus, suo iam tempore non defuisse,
qui christiana religionis decreta ex suo ipsorum
consilio praeceps interpretati sint. Itaque, pauci qua-
rebant *tau& tau* *Xc158*, alii alios vincere et amatorum
multitudine superare conati sunt; suos autem secta-
tores certis limitibus circumseriperunt, vt eos eo
melius et certius ab aliis seiunatos in obsequio reti-
nerent. Qui Apostolorum doctrinam sequebantur,
symbolo illo *Apostolico* communia ipsis decreta
complectebantur, a *Gnosticis* sic seiuncti, et *ca-*
tholicorum nomine distincti. Atque infitari no-
lim, istis carminibus *ea omnia comprehendendi*, qui-
bus christiana religio nititur; est enim oppido in-
venustum, si quis non patiatur interpretandi libe-
rale et salubre ministerium accedere. Quoti qui-
que his sententiis sic fidem habent, vt earum vim
ipsa vitae sue ratione comprobent, christianam
omnes sequuntur religionem; et si his illis copiosior-
ibus decretis non ipsi accedunt, quibus peculiarium
ecclesiarum ministri solent seiungi. Cum enim de
his symboli apostolici sententiis iam quaestiones ori-
rentur inter Christianos, vel a secundo seculo,
quae non eodem modo definiebantur: locus iam
fiebat diuisis Christianorum et maioribus sedis;
quarum statores suam semper viam propriam in do-
cendo atque intelligendo sequebantur. Itaque fuit
alia docendi formula apud *Nazarenos*, et qui eos
alibi secuti sunt; alia eorum, qui inter *alexandri-*
nos et Graecae philosophiac scholas versabantur;

simpli-

simplicior fere olim *Romanorum*; copiosior Graecorum, qui naturalis cognitionis vbertatem et exercitum plerique adiungebant, a ceterorum vana spe atque infantia magis alieni. Seculo autem quarto, eruditiorum, quae adhuc obtainuerat libertas, non parum circumscripta fuit, *iure ecclesiastico*, externo; vt iam omnes ministri ecclesiastici, (*catholicorum*), adstringerentur ad Symbolum *nicaenum*, a quo *Arianorum* illa pars fuit aliena. Inde nouae semper quaestiones nouis fere *symbolis*, consensu episcoporum et Imperatorum, fuerunt definitae; in *Ephesino*, *chalconensi*, aliisque conciliis. Post ea tempora longe rario exsistit *orientalis*, *occidentalisque* ecclesiae consensus; *concilia oecumenica*, seu vtriusque ecclesiae, nulla per longum tempus occurrunt; nempe romanus pontifex non amplius adhaerebat Imperatoribus *constantinopolitanis*, qui iam suum nouae Romae *Patriarcham* caput erigere sinebant. Contra *Nicaenam* secundam synodum *Carolus M. francofurtensem* aliam excitat; eumdem *Eiipandi*, *Felicitis*, *Vrgelit.* et alias aliorum similes quaestiones per episcopos suos compouisse scimus; alia concilia minora per *Italianam* celebrata fuerunt; sed semper ad causas *dogmaticas*, i. e. *ecclesiasticas*, (Episcoporum, presbyterorum,) accessit *externa auctoritas*. *Scholaisticorum* autem sollertia *priuata* fere fuit; vetustiorum doctorum nominibus et testimonii utuntur, ne *externam* istam ecclesiae potestate videantur contemnere. Minus liberale ingenium inest *Magistro sententiuarum*, qui tamen nec ipse primus eius generis *Epitomen dogmatum ecclesiasticorum* praeiavit. Caeteri certe *scholaisticci* honestam libertatem, vt licuit, magis conseruarunt.

Hic autem illud est obseruandum; *externa auctoritate ecclesiastica* rem semper omnem ea ratione

○

ratione confici solitam. Scripturae sacrae *sententias* recte intelligere atque explicare nemo potest, praeter ministros et doctores ecclesiasticos; *Episcoporum* praeципue ea in causa eminent auctoritas, qui Apostolis successerunt, omnes autem *Petri*, seu Romani episcopi, auctoritatem reverentur. Itaque videmus e. c. *Augustinum* sexcentas quaestiones et reperire et definire; quae postea semper secundum ipsum solent ab aliis declarari. Hac autem via non solum commista fuit christiana religionis causa cum decretis humanae cognitionis et disciplinae, (ea enim res et sine piaculo erat et sine periculo, Apostolorum adeo exemplis non destituta) sed *ecclesiasticae* quasi *legis* accessit instar, vt fas non amplius esset ab *Augustino* e. c. dissentire, qui a *Romanae* ecclesiae antistite credebatur namus esse summam auctoritatem. Quia in re negari non potest, *Augustinum* recessisse a *Cypriani* et aliorum seculi 3. institutis; qui cum Romano Episcopo in minus liberalem societatem non coierant. Maxima vero corruptionis vis a barbaricis illis figmentis valuit, quae *decretales* Romanorum Episcoporum dicuntur; quibus summa potestas Romano tribuitur episcopo, (quia Petri fides non possit perire;) vt salutis aeternae damno iam luentum esse videretur, si quis a romanae ecclesiae decretis praeceptis et iuribus esset alienus. Atque hac ratione *dogmata*, (mandata) extiterunt fabulae inueniustae, de *purgatorio*, de *sancctorum* atque *imaginum cultu*; de *missae sacrificio*; de *officiis pro mortuis*; de *indulgentiis*; de *sacramentis septem*; de *caelibatu*; de *voitis*, de *jeuniis*, de *satisfactionibus* &c. Haec fuerunt *dogmata*, fidei catholicae partes, quibus ex SS. nulla adseriri potuit auctoritas; sed ex *traditione* patrum, atque ex *ecclesiae* publico consensu, minime deerat. Hic facile

facile patet, neminem ad obeunda christianaे religionis ministeria admissum fuisse: nisi qui istis cunctis praceptis iam satis deditus esset atque adsuets. Certum igitur est, *externam ecclesiae potestatem suppleuisse* vsque ad sec. XVI. doctrinae liberalis internam vim atque auctoritatem.

§. XIX.

Successit iam haud paulo laetior *theologiae dogmaticae* facies *Erasmī*, *Lutheri*, *Zwinglii*, aliorumque felicibus studiis. *Doctrinae* christianaе nomen augustinus ita vindicatum fuit, vt *ecclesiasticae*, i. e. Episcoporum praeceptiones omnes sub examen liberaliter vocarentur, ad Scripturae sacrae luculentam auctoritatem. Atque hic illud facile obseruantur, et si fere defuerunt, qui imitarentur: libere istos melioris religionis vindices sententiam suam dixisse; quicquid clara scripturae sacrae auctoritate caret, ad fidei dogmata non posse referri; omne enim docendae plebis ministerium ad SS. et Apostolorum exemplum conformandum esse. Feliciter res, deo luculenter fauente, sic tulit, vt nec *Lutherum*, aut *Melanckthonem* nec *Zwinglium* iam destitueret summorum magistratum auctoritas, qui ferre et pati ultra nolebant Pontificis romani improbam malignitatem. Itaque nec defuit publica scribendi et docendi facultas; repetuntur illa iura principis, quae sola olim ecclesiasticae potestatis externae originem et incrementum praebuerant, contra *ecclesiastica* prava illa dogmata. Vult et poscit Elector Saxonie, vt *Lutheri* caussa, quia communis esse posset, liberali modo discutiatur; eunt et alii principes et magistratus in hanc arbitrandi et querendi societatem; felici et diuino fato. Redit tandem pristinae libertatis, quae olim in comitiis obtinuit, exemplum; scimus enim, et laicos principes

cipes, (illepidum et iam peritum nomen) interfuisse rebus et quaestionibus ecclesiasticis. Iubet Elector doctrinae, quam suis in terris loco inanum crepitaculorum, adhuc sonare voluerat, epitomen conscribi; celeberrimam illam Augustanam confessionem; primum publicae et sollemnis doctrinae salubris exemplum ingenuum, a qua suis in terris, suo iure usus, non passus erat publicos sacrorum ministros recedere; a qua nec postea passurus erat, ut vlla in sententia, quae est aduersus Romanos istos errores scripta, recederet publicorum doctorum quisquam; nec enim populo tam barbaricis modis, nomine religionis vano, porro illudi, per conscientiam et probitatem, ferri poterat. Hic ad illud praecipue est attendendum, ut veritatis ingenuam vim satis spectemus; Lutherus audet toti fere huic orbi obloqui, licet Episcopis adhuc iusto plus ipse deditus; non desunt, qui audiunt et legunt; terrae dominus non solum patitur, sed etiam ulterius hanc libertatem adiuuat; ab eo hoc iure ecclesiastico paulo post per suam ditionem iam sanctitur, ut Augustanae confessionis modum atque exemplum obseruare oporteat eos omnes, qui docendi munere publico apud suos fungi velint. Ex principiis enim arbitrio pendebat, ut statueret, monachorum et sacrificiorum malignis studiis publicis locum ultra non esse per suas provincias.

Operae omnino pretium videtur, paulo studioius hic huic rei dare operam, et *theologiae docendae modum* sec. XVI. intueri proprius. Lutheri disputationes, quas publice Wittebergae habuit, postea in *operibus* eius, et cura Melanchthonis Wittebergae in corpusculum collectae prodierunt, 1538. 8. Praefationem Melanchthon hunc in modum orditum: Congessi in aceruum aliquot

quot propositiones *Lutheri*, cum ob alias caussas, tum quia *graues quosdam locos doctrinae christianaे continent*, qui ex his brevibus sententiis melius cognosci possunt, quam ex magnis aliorum (*Scholaisticorum*) voluminibus &c. Anno 1517 contra naturales vires hominis, contra merita, et Sanctorum auxilia; Theses contra *Tezelium*, de vera poenitentia; papa remittere tantum potest *poenas canonicas*; contra indulgentias, et quod ad purgatorium non pertingant; christianus habet participationem bonorum Christi et ecclesiae (*inuisibilis*) etiam sine litteris venialibus. Has inter theses non obscura est libere requirendi libertas. Respondebit M. Franc. *Günther*, nordhus. pro biblia, praefidente — Luthero, anno eodem, cum clausula, in his nihil dicere voluimus, quod non sit catholicae ecclesiae consentaneum. In his multa contra Scholaisticorum et Aristotelis abusum in Theologia. Anno 1518, de remissione et absolutione; fides in verbum Christi, quodcumque solueris, iustificat. De discrimine sacramentorum in V. et N. T. Theses ex Theologia; ex Philosophia; praefert ideas Platonis et numeros Pythagorae Aristoteli. De circumcisione. Contra nouos et veteres errores defendet Lutherus positiones sequentes; in studio Lypseni 1519 — — romanam ecclesiam esse omnibus aliis superiorem, probatur (tantum) ex frigidissimis Rom. pontificum decretis, intra 400 annos natis &c. — anno XX, vtrum opera faciant ad iustificationem. Disputatio alia, 1520, de sacramentis V. et N. T. sola sacramenta non dant gratiam aut remissionem peccatorum, sed sola fides sacramenti. Alia disputatio baptizati a Ioanne denuo baptizandi fuerunt baptismati Christi. De excommunicatione; Anno 1521. Episcopis et diaconis ecclesiae Wittebergae de voto

II. Lib.

F

reli-

religionum disputantibus, *Martinus Lutherus*, seruus, haec mittit (Initium: omne quod non est ex fide, peccatum est; hoc de fide illa vnica justificante dicitur;) primam partem finit ista oratio: haec sic disputari volo, ut certa et vera teneantur; quae sequuntur, simpliciter propono disputanda et inquirenda 1522. De *digamia* episcoporum sequentes propositiones sustinet, fauente Christo, D. *Martinus*, aduersus totam Synagogam Satanae, et vniuersas portas inferorum. Ecclesia dei non habet potestatem approbandi articulos aut scripturas sanctas more maioris, vel auctoritate judiciali — sed more minoris, i. e. agnoscit et confitetur. Disputatt. de vtraque specie sacramenti, contra concil. Constantiense, 1535. In sequentibus quinque disputatt. diligentissime expendit *Lutherus* singulas voces Rom. 3. λογισμα &c. De illo Lucae VII, dimituntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum &c. Contra missam priuatam, 1535, Barbara primus, secundus, tertius, (contra missam) problema disputabile, in missa priuata videtur non esse sacramentum; et adoratores eius esse veros idololatras. Vtrum Daniel operibus tribuat iustificationem, dicens, redime peccata tua eleemosynis? Disputatio de potestate concilii 1536. Soli apostoli fidei articulos tradere debebant. (Non suas cogitationes, sed fidei analogiam tractare debent episcopi) disput. circularis praesid. M. L. 1537. vtrum homo, qui fecit coenam magnam, inuitatis omnia parauerit ad comedendum gratis. Contra *Antinomicos*, disput. quatuor. Nic. *Amsdorff* disputationes aliquot. Contra *Zwingianos* et *Anabaptistas* themata Nic. *Amsdorff*; (idem ille sensus est simul litteralis et spiritualis,) mysticus vero et allegoricus est ludus; — — suam efficaciam et virtutem a fide habet baptismus, vt peccata remittat,

mittat. — Infantes credunt modo quodam diuino, supra hominis capacitatem.) Cogitationes Nic. Amsdorffii de concilio numquam futuro, si per papam licet, 1533, quatuor partibus. Opiniones ineptae de papistica missa. Propositiones contra sacrilegas opiniones de Missa D. Ioh. Aepini. Fr. Henrici Zutphaniensis propositiones, natura; lex; Euangelium et fides; charitas. Haec isto in corpusculo continentur. Scimus autem ex *Lutheri* cunctis libris, eum praecipue dogmatibus practicis deditus publicam operam, contra barbaros ecclesiasticos errores, et quidem sic, ut plerumque rem optime tractat; rarius autem et ipse hic ibi in eam viam interpretando aut decernendo abreptus est, quam nos adhuc sequi non licet. Fas autem fuerit profiteri, sub idem fere tempus et *Erasmus* et *Zwinglium* multum attulisse adiumenti ad meliorrem theologiae docendae modum. *Erasmus* quidem, cum N. T. ederet, adiecit breuem rationem studii theologici, quam paulo copiosius postea recensuit; ex isto libello, cum sit minime ex iis, qui hodie saepe leguntur, non pigebit ista excerpta legere, quae et eo facient, ut ingenuum *Erasmum* animum et probam mentem eo certius et inspicere quasi et imitari licet. „Ad hanc philosophiam non platonicam — sed plane caelestem, animum adferamus ea dignum, purum ab omnibus, quoad fieri potest, vitorum inquinamentis, et a cupiditatem etiam tumultu alienum. — Absit fastus, supercilium, gloriae fames, rixarum parens pertinacia. — Si quid occurrit, quod parum congruit in naturam diuinam, caue calumnieris, quod scriptum est in libris sacris; sed te potius crede non assequi, quod legis. — Hoc unum age, ut mutaris, ut transformeris in ea, quae discis. Ita deum tibi videare profecisse, non si disputes acrius,

84 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

sed si te senseris paulatim alterum fieri; minus elatum, iracundum, voluptatumque cupidum. Quorumdam mores faciunt, ut hoc sanctissimum studium apud quosdam male audiat, cum ferociores sint idiotis, ambitiosiores, magis irritabiles, lingua virulentiores et ad omnem vitae consuetudinem incommodiore, ut tales ab ipsa theologia redditii quibusdam videantur. ¹¹² Prima cura dabitur perdiscendis tribus linguis, lat. gr. hebr. Satis est, si ad mediocritatem aliquam progrediare, quod sufficiat ad iudicandum; cautim ac moderate instruatur aliquis dialectica, rhetorica, arithmeticā, cum primis autem rerum naturalium cognitione; cosmographia, historia gentium, ad quas scribit Apostolus. Sola dialectica non sufficit ad disputandum. Quid diuides aut finies, aut quid colliges, si rerum, de quibus differitur, vim et naturam ignores? Exerceatur theologiae destinatus adolescens in schematis et tropis grammaticorum, rhetorumque — et quoniam professio theologica magis constat affectibus, quam argutiis, quas in ethnicis quoque philosophis ipsi rident ethnici, conueniet, non seleniter in hoc genere exerceri, quo postea dexterius in theologicis allegoriis locisque communibus tractandis versari possit; (in illis commendat *Origenem*, in his Chrysostomum,) — Praecipuus Theologorum scopus est, sapienter enarrare diuinā litterās, de fide, non defruolis quaestionibus, rationem reddere, de pietate grauiter atque efficaciter differere, lacrymas excutere, ad caelestia inflammare animos. — Tirunculo tradantur dogmata in summā et compendium redacta — velut illa, vt exempli causa paucula notem. Christum, caelestem doctorem, nouum quendam populum in terris instituisse, qui totus e caelo pendeat, et omnibus huius mundi praesidiis diffusus, alio quodam modo diues esset, alio sapiens, alio



alio nobilis, alio potens, alio felix; qui contemtu rerum omnium, quas vulgus admiratur, felicitatem consequeretur; qui nesciret liuorem aut inuidentiam; qui nesciret spurcam libidinem; qui nesciret divertium, quippe nihil non malorum vel ferens vel emendans; qui nesciret iusurāndum, vt qui nec diffideret cuiquam, nec falleret quemquam; nesciret pecuniae studium; non titillaretur inani gloria; nesciret ambitionem; qui nesciret, ne lacessitus quidem, irasci, vel maledicere, nedum vilisci, qui et de male merentibus bene mereri stude ret; qui ea morum esset innocentia, vt vel ab ethniciis comprobarentur — qui doctore spiritu caelesti sic saperet, qui ad exemplum Christi sic viueret, vt sal vt lux esset orbis — qui quicquid posset, id omnibus iuandis posset — qui modis omnibus sic ageret, vt ad extremum illum diem semper esset velut ac cinctus ac paratus. Hunc esse scopum a Christo propositum, quo omnia Christianorum sint referenda, licet interim tolerandi, fouendique sint imbecilles, donec proficiant. Haec sunt auctoris nostri dogmata noua, quae nulla philosophorum familia tradidit. — Quaedam plane vetat Christus; quaedam plane praecipit omnibus; quaedam ita commendat, vt tamen non exigat; quaedam contemnit Christus, ac velut indigna se reiicit; quaedam veluti dissimulat, tamquam ad se non pertineant. — Accedit quoque lucis non nihil ad intelligendum scripturae sensum, si perpendamus non modo *quid* dicatur, verum etiam *a quo* dicatur; *cui* dicatur; *quibus verbis* dicatur; *quo tempore*, qua occasione, quid praecedat, quid consequatur. Alius sermo decet Ioannem, baptistam; alias Christum; aliud praecipit rudi populo, aliud apostolis, aliud his adhuc rudibus, aliud formatis iam et institutis. Ut personarum sic et temporum obseruata varietas

36 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

obscuritatem discutit - *primum* tempus esto, si videtur, quod Christi praecessit aetatem; *proximum*, cum nondum quidem exorta sed tamen aduentante iam Euangelii Luce, superioris legis tenebrae rarescerent. Tum satis adhuc erat, Ioannis baptismo tingi, ad superioris vitae poenitentiam inuitari. Ita, quae proprie Christianos facerent, Christo seruabantur. *Tertium* esto, Christo iam late miraculis ac doctrina clarescente terrarum orbi, quod tempus complectitur, et post datum Spiritum S., rudis adhuc et nascentis ecclesiae primordia. *Quartum* tempus sit illud; (sub imperatoribus christianis,) pro mutato rerum statu nouae leges sunt inductae; iam *quintum* tempus facere licebit, ecclesiae probabantis ac degenerantis.

Omitto multa, praelatura omnia, atque contra pontificiorum insanios errores grauiter prudenterque scripta; pergit tandem: locos aliquot theologicos aut tibi pares ipse, aut ab alio quopiam traditos, accipias; ad quos omnia, quae legeris, velut in nudulos quosdam digeras, quo promptius sit, ubi videbitur, quod voles vel promere vel recondere; velut, (ut exempli caussa rem notem,) de fide, de ieiunio, de ferendis malis, de subleuandis infirmis, de ferendis impiis magistratibus, de vitando simplicium offendiculo; de studio sacrarum litterarum, de pietate erga parentes, aut liberos, de christiana charitate &c. et alia id genus. Hac usum fuisse ratione diuum Hieronymum, mihi propemodum videor animaduertere. -- Nec vero nos pugilem instituimus, sed theologum, et eum theologum, qui quod profitetur malit exprimere vita, quam syllogismis. - In culpa est non ipsa theologia, quae non sic nata est, sed quorundam tractatio, qui totam illam ad dialecticorum argutias et Aristotelis philosophiam detraxerunt, ut illic non paulo plus

plus sit philosophiae, quam theologiae - quid autem necessere est, ad omnes omnium quaestiones certa respondere theologum? quarum nec numerus est nullus, nec modus, nec finis. Sunt, quae parum pium sit investigare, sunt quae citra salutis dispendium possunt nesciri; sunt de quibus eruditius sit, ambigere et cum academicis *enrexer*, quam pronuntiare. Denique malum prius esse Theologus, quam cum *Scoto* invictus esse. Illud certe negari non potest, per veteres illos illustratam ac defensam esse Christi doctrinam; quos ita demum patiar antiquari, si constet horum (recentiorum) argutissimis argutiis et subtilissimis subtilitatibus, vel unum ethnicum conuersum ad Christi fidem, vel unum reuictum ac mutatum haereticum. Nam quod hodie pauciores sunt, aut certe extant haereses, id, si verum fateri volumus, *fasciculis* debemus verius, quam syllogismis &c.

§. XX.

Anno 1521 prodiit *editio prima* locorum Melanchthonis; *loci communes* rerum theologicarum, seu hypotyposes theologicae, Wittenbergae An. MDXXI. Operae sane pretium est, cognoscere proprius dogmaticae melioris theologiae ista rudimenta. Digesserat *Melanchthon* communissimos rerum theologicarum locos, cum Epistolam ad *Romanos* enarraturus esset. Ista lucubratiuncula euulgari coepit; itaque, quia non erat in manu, libellum, propemodum iuris publici factum, premerre, recognoscere et sub incudem renocare instituit; ut intelligeret inuentus, quae sint in scripturis potissimum requirenda, et quam foede hallucinati sint vbique in re theologica, qui pro Christi doctrina Aristotelicas argutias prodidere. Atque recte hic *Melanchthon* recentius esse Theologiae genus,

Melanchthonis loci
theol.

88 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

quod *Damascenus* et *Longobardus* fecutus sit; nimium enim philosophatur *Damascenus*; *Longobardus* autem congerere hominum (patrum) opiniones, quam scripturae sententiam referre maluit. Indicat autem ista rerum theologicarum capita, *Deus*, *unus*, *trinus*; *creatio*; *homo*, *hominis vires*, *peccatum*, *fructus peccati*, *vitia*; *poenae*; *lex*; *promissiones*, *instauratio per Christum*; *gratia*, *gratiae fructus*; *fides*, *spes*, *caritas*, *praedestinatio*, *signa sacramentalia*; *hominum status*; *magistratus*; *episcopi*, *condemnatio*, *beatitudo*. In his, sapienter addit *Melanchthon*, ut quidam prorsus incomprehensibiles sunt, ita rursus sunt quidam, quos vniuerso vulgo christianorum Christus compertissimos esse valuit. -- Proinde non est, cur multum operae ponamus in locis illis supremis, de deo, de vnitate, de trinitate dei; de mysterio creationis, de modo incarnationis. Quaesote, quid adsecuti sunt iam tot seculis scholastici Theologistae, cum in his solis locis versarentur! Nonne in disceptationibus suis, ut ille (Paulus) ait, vani facti sunt; dum tota vira nugantur de vniuersalibus, formalitatibus, connotatis, et nescio, quibus aliis inanibus vocabulis. Iam si libeat ingeniose mihi esse, in re non necessaria: facile queam euertere quaecunque pro fidei dogmatis argumenta produxerunt; et in his quam multa rectius pro haeresibus quibusdam facere videntur, quam pro catholicis dogmatis. Paulus in epistola, quam Romanis dicauit, cum doctrinae christianaee compendium conscriberet, num de mysteriis trinitatis, de modo incarnationis, de creatione actiua et passiua philosophabatur? -- Quoties Paulus optare se testatur fidelibus, locupletem Christi cognitionem (Liceat addere, quia non pauci rem non intelligunt, et si hoc nomen exosculantur, Christus non

non difficiles de persona quaestiones hic complecti-
tur; sed eius et doctrinam et amorem, rebus factis-
que nostro bono comprobatum, et vitae commen-
datissimum exemplum. Haec qui mente versat,
**Christum cognoscere et suam in rem conuertere
velle dicitur.)** Itaque nos aliquam delineabimus
eorum locorum rationem, qui Christum tibi com-
mendent, qui conscientiam confirment. Atque his
dictis statim transit *Philippus ad locum, de homi-
nis viribus, adeoque de libero arbitrio;* itaque
breuissime de deo hic egit. Scimus eum in editio-
nibus posterioribus, 1543 seq. longe copiosius
agere, de deo, personis &c. sed sic, ut maxime
christianam *dei* descriptionem vindicatum eat, ad-
versus *turcicam* ethnicamque opinionem. Idem
eruditis ista ibi proponit, scilicet c. de λογω, per
aeternam patris cogitationem genito; quas opinan-
di appendices libero cuiusque iudicio permittit, adeo
incertas, ut *Flacius* maxime istam ἐννοιαν reprehendit,
quam isto tempore *Wittenbergenses* sere
omnes solebant adamare; quam vel ipse *Lutherus*
inde ab anno 1523 commendauit, cum *Melanch-
thonis* annotationes in *Iohannis Euangelium* per
vim quasi subreptas, ut iocatur, in lucem edidit.

Liceat ex hac prima editione, quasi carptim
colligere, quae ad hanc caussam, liberalis atque in-
genuae disciplinae faciunt. De *libero arbitrio*
scripserunt *Augustinus* et *Bernhardus* -- ego, quan-
doquidem non sequar hominum *opiniones*, et
simplicissime et planissime rem exponam. -- Statim
post ecclesiae auspicia per *platonicam* philosophiam
christiana doctrina labefactata est; ita factum est, ut,
praeter canonicas scripturas nullae sint in ecclisia fin-
cerae litterae -- si quis haec calumniabitur, liben-
ter et fortiter tuebimur nostra, (tamen postea
Synergistarum nouus anchora creditus?) Quacri-
tur,

tur, sitne libera voluntas; (*sine designatione rerum spiritualium,*) *Respond.* quandoquidem *omnia* quae eueniunt, *necessario* iuxta diuinam praedestinacionem eueniunt, nulla est voluntatis nostrae libertas -- quod asperior paulo videtur sententia de *praedestinatione*, debemus *impiae Sophistarum theologiae*, quae inculcauit nobis *rerum contingentiam* et libertatem voluntatis nostrae - ista dicunt, *externam* libertatem, (*vesci carnibus non vesci*) intuentes. - Summa, si ad praedestinationem referas humanam voluntatem, nec in externis nec in internis operibus illa est libertas, sed eueniunt *omnia* iuxta destinationem diuinam. (Scimus *Lutherum* et alios isto tempore similia scripsisse; deum operari bona et mala) Sed in editionibus locorum ab anno 1543. *Melanchthon* longe ab ipsis sententiis recedit; atque poterat contra *merita* disputari, et istud tamen *paradoxon* omitti. De *peccato*; scriptura non vocat hoc *originale*, illud actuale peccatum; est enim et istud plane *actualis* quaedam prava cupiditas. -- In hac disputatione *Augustinus* regnat, contra Pelagianos, (qui negasse feruntur, esse peccatum orig.) ita, ut cetera fere, quae praeter hanc caussam scripsit, frigidiora videantur. -- Pueri nondum admiserunt peccatum, quod vocant, actuale. In Adam maledicti sumus; quid est maledici, nisi peccati nos damnari. -- Vix quaedam energia est peccatum originale, nulla non parte nostri, nullo non tempore fructum ferens, vitia. -- Et Sophistas nondum pudet docere operum iustitiam, satisfactio-nes. Genes. 8, nos legimus, cogitatio -- *prona* ad malum; sed vti malebam *germana lectione*, (*prava*,) a pueritia. -- Philosophia non respicit nisi externas hominum larvas; sacrae litterae penitissimos affectus obseruant, quibus cum regatur homo, de operibus pro affectuum ratione iudicant --

Caro,



Caro, si cum spiritu conferatur, significat optimas naturae humanae vires citra Spiritum S. Rursus, *spiritus* significat ipsum Sp. S. et eius motiones atque opera in nobis. Verbosus iam *Melanchthon* ista aduersus Romanae ecclesiae prauitatem prosequitur. *De lege*; aliae leges sunt *naturales* (deum cole; nascimur in communem vitae societatem, ergo neminem laede; si hoc fieri nequit, ut prorsus nemo laedatur, paucissimi certe; sublatis iis, qui publicam quietem interturbant; res diuidunto, propter publicam pacem.) *Diuinae* leges sunt, quae per scripturas canonicas a Deo sanctitae sunt; *ordinis* earum *tres* fecerunt, morales, iudiciales, caerimoniales; *morales*, in decalogo &c. *De consiliis* foede ac impie erratum est a Sophistis. -- Est in Euangelicis litteris vnicum consilium, de caelibatu. *De monachorum votis*; Supersunt *iudiciales* et *caerimoniales*; hoc genus ignorant litterae euangelicae; vindiciae prohibitae sunt; mandata est paupertas, rerum communio, forum interdictum. (Obseruabimus, haec omnia breui tempore post longe melius tractata fuisse.) *De humanis legibus*, aliae sunt ciuiles, aliae pontificiae; hae leges contra caritatem et per meram tirannidem conditae sunt; conniuentibus principibus ipsi sacerdotes sibi iura condiderunt. *De fide* non habent ius, nec pontifices nec concilia, nec vniuersa ecclesia, quicquam statuendi. -- Non habendum est pro articulo fidei, quod citra scripturam proditum est, quod non palam scriptura docet; ut rumpantur interim *Parisenses*, qui principia fidei vocant conciliorum et scholarum dogmata. At de moribus constituet ecclesia item de ceremoniis? Negat. -- In nicaena synodo constitutae sunt quae-dam poenitentium formae; at video bonam Euan-gelii partem, imo vim eius germanam obscuratam esse;

esse; abusus ex caelibatu, eucharistia sacerdotibus propria. De *Euangelio* -- Euangelium intra ipsam legem abditum est, c. c. αιτιολογια primi praeepti, et Exodi 34; adeo Euangelista est Moses, ut in omnibus N. T. litteris magis euangelica concio non exstet. -- Vulgatus error est, Mosi Christum successisse; legem Mosi externa tantum opera, Christi legem adfectus etiam postulare. *De vi legis de vi euangelii.* De *gratia*; vtinam vocabulo *fauor* (Dei, voluntas Dei miserta nostri) vti maluissent interpres; non enim significat qualitatem. Tam gratiam, quam donum (spiritum S. qui regenerat corda) Euangelium promittit. De *inflstitutione et fide.* - Sola fides de misericordia et gratia Dei in Iesu Christo, iustitia est. -- Quicquid non est ex fide, peccatum est; (hoc carmen *Lutherus* etiam alicubi et Melanchthon alibi nondum recte interpretabantur.) -- Promissiones sunt aliae rerum corporalium, vt veteris testamenti omnes (quae tamen fuerunt promiss. gratiae, a minori ad maius,) aliae spirituales, quae proprie ad N. T. pertinent. De *fidei efficacia.* De caritate et spe (hic contra *Eccium et parisienses.* De *difermine V. et N. T.* item de *abrogatione legis.* - Necesse est fateri, *decalogum* etiam, (non solum ceteras leges,) antiquatum esse; haec libertas est; (ius legis, damnationem, Christus sustulit,) quam fere vbique Paulus praedicat; caerimonias vix attingit. Qui spiritu Christi innouati sunt, ii iam *sua sponte*, etiam non praeante lege, feruntur ad ea, quae lex iubebat, -- hoc illud est, dabo legem meam in visceribus eorum &c. libertas est, non, ne faciamus legem, sed sponte, ab animo velle, quod lex poscit. -- Vt et non facta lex, tamen non damnet, et fieri possit. -- Sic liber est spiritualis, vt nisi adferret ipse secum spiritus pro sua natura

natura decalogi impletionem, ne deberemus quidem; fit lex, non quod exigatur, sed quia ne potest quidem a Spirituali diuersum fieri. (Sic et ipse *Lutherus* solebat docere e. c. Sermone in *Exod.* 20. edit. Anno 1527. annotatt. in *Deuteronom.* cap. 7. edit. 1525. 8. p. 32, dicamus illis, Mōsē ad nos nihil pertinere in omnibus suis legibus, sed tantum ad Iudeos; *nisi vbi cum naturali lege consentit &c.*; paulo post autem ob abusus rusticorum et *Antinomicorum* noua studia, mutata est haec doctrina; parum reēte, si quid iudico; lex enim mosaica omnis ad Israelitas tantum, ut lex resertur.) De veteri ac novo homine; de peccato mortali et quotidiano. Si testamenti nomen pro prius consideres, vetus testamentum *τύποις* noui, non testamentum, fuerit, ut in quo non deceperit testator. De signis, sacramentis; seu signa sacramentalia; nam Christum ipsum Paulus vocat *sacramentum*; σημαῖδες, probabilis et illi voluntatis, qui symbolis seu tessellis militaribus haec signa comparaverunt. Scholastici horrendo errore iustificationem signis tribuerunt. -- Rebus et verbis dixerunt veteres constare sacramenta; *res*, signum est; verba, promissio gratiae. Sophistae *materiam* et *formam* sacramentorum prolixæ et superstitiose tratarunt. -- Poenitentia est proprie, quam significat baptismus -- signa nihil sunt nisi fidei exercendae μηνοσύνα. De discrimine baptismi Iohannis et Christi -- oportuit iterum baptizari, qui Iohannis baptismo loti erant, quo certi essent, se iam *consecutos esse* remissionem peccatorum, quam *obuenturam* crediderant. (Ita et *Lutherus* in disputatt.) De poenitentia. -- Quod mortificationem nos vocamus, Scholastici *contritionem* voluerunt dici. De priuatis confessionibus -- Christus absolvit plerosque, et Apostoli in *Actis*, sine confessione, aut cata-

catalogo peccatorum. Poenitentiae duae sunt partes, mortificatio, cum conscientia lege tenetur; et viuificatio, cum per absolutionem erigeris. De participatione mensae domini. Signum gratiae certum est participatio mensae domini; contra sacrificium missae, et contra cetera sacramenta. De caritate. -- Nolo libertatem spiritus eiusmodi disputationibus vinciri, quales sunt vel Summulariorum (Scholastic.) vel Ciceronis, de officio eius, qui ex naufragio in tabulam eamdem peruenit, quam tenuit sapiens. -- De magistratibus. De Scandallo. Habes rerum theologicorum communissimos locos &c. Addimus, Lambertum, Auenionensem, qui 1523 adhuc Wittebergae publice docuit, in suis commentariis, simillimam doctrinam, et graues in pontificiorum improbitatem animadversiones protulisse; nec desunt, quae obseruatione satis digna sunt. E. c. in *Lucam* Cap. 1. profecit Ioannis praedicatio his, quos deus ab aeterno praedefinirat; reprobis vero minime. In margine: solis electis praedicatio utilis est. Gratiosa -- ab erroris spiritu profectum fuit, quod ipsam gratiam distinxerunt in praeuenientem, subsequentem, operantem, cooperantem, gratis datam, gratum facientem, et quicquid tale est. Hoc de gratia tenendum est, quod Christus venit in mundum, ut per eum Dei gratiam adsequeremur, h. e. illi grati efficeremur -- quisquis sincere credit, Dei gratiam habet -- praeuenit eum Dei spiritus, ut credat -- Christianis omne praelium suspectum est -- Christus pro electorum salute occidens erat, (in Cap. 19.). Dominus accipiens panem et calicem, de pane dicit, hoc est &c. ut ipsum in sacramento cum pane et vino esse scias, -- nihil enim impedit eum, ne etiam in eodem loco cum eodem corpore sit. In pane ergo et vino Christus datur. -- Pauca, speciminis loco,

Icle-

selegimus; in praefat. ad *Spalatinum*: iuxta sere-
nissimi imperatoris edictum, his, qui in nostra aca-
demia columnae esse videntur, hos libros emendan-
dos obtulimus, qui nihil ex eis reprobaue. *Dogma-*
tica pleraque in notis et commentariis ad libros sa-
cros per ista tempora occurrunt; vt, qui ingenuam
rationem nosse velit, colligendorum ex SS. dogma-
tum, eum commentariis *Melanchthonis*, *Lutheri*,
Brentii, *Bugenhagenii*, operam legendo dare
oporteat, et obseruare, cognitionis eruditionisque
incrementa, quae maxime in *Melanchthonis* libris
fere cunctis spectantur.

§. XXI.

Antequam in illustranda historia eius seculi Zwinglii
pergimus, ad *publicos* libellos dogmaticos, inde ab studia.
anno 1530 conditos, operaे videtur esse pretium, et
Zwinglii et quorumdam ex *Romanis* auctoribus,
breuiter recensere studia, in hoc bene merendi ge-
nus collata: vt obseruato vario discrimine eo me-
lius possimus iudicare de iis, quae ad successus veri-
tatis prosperos faciunt. Etsi enim in eo fere eminent
Wittebergensium illo tempore schola, quod proiectis
et scholasticis et patrum scriptis, quibus publica reli-
gionis corruptio maxime et adiuta fuit et confirmata,
libere senserint: tamen nec alia omnino negligenda
sunt, quae ad caussam dogmaticam istius seculi faciunt.
De vera et falsa religione Huldrychi Zwinglii
commentarius, Tiguri 1525 mense Martio excusus,
vel ob temporis eius rationem recensionem meretur;
licet nec alia defint, quae libello vel nostri tempo-
ris fauorem aliquem concilient. Dedicauit autem
istum commentarium Regi Galliarum *Francisco*;
quae vel praefatio satis acriter in *Romanum* ponti-
ficem et *Sorbonicos* Theologistas inuehit. De vo-
cabulo *religionis*. -- De *Deo* -- quicunque auditio
verbo (in principio creauit *Deus*) iam credit,

mut-



mundum dei opus esse: clarum est id non fieri, aut
 verbi aut mentis nostrae virtute -- sed quod *a Deo*
hoc doctus est; solius Dei est, et vt credas, Deum
 esse, et eo fidas. -- Deus est essentia et consistentia
 rerum omnium -- vita et motus omnium, *Acto. 17*
 videmus hic obiter usum Apostoli in citandis profa-
 nis scriptoribus; iis nequam utitur quasi autoribus,
 sed si quid *caelestis spiritus per eos dictum*
voluit, ostendit, ubinam inuenire licet, ne mar-
 garitam unam et alteram sectando, cuncta ipsorum
 stercora enoluere cogeremur. (Similiter postea:
Cicero in oratione pro *Archia*, sic diuinae sen-
 tentiae adstipulatur, *vt dei potius virtute* exorta,
 quam voluntarie (sunt dicta). Tempus est, vt omnium
 quae haec tenus dicta sunt, testimonia verbi ipsius
 adducamus. -- *De Homine*; hominem cognosce-
 re, tam est laboriosum, quam sepiam capere. --
 Qua nam morte mortuus sit Adam, multis enim
 postea seculis vixit -- animae ergo mors est, quae
 subito secuta est -- *φιλαυτία* causa fuit (reprehen-
 dit similiter, vt *Melancthon*, *Genes. 8* transla-
 tionem latinam, *prona* ad malum; in hebraico
 est, *mala est*). -- Quod *Cicero* vim appellat,
 (gloriae mercedem) hoc nihil aliud esse scimus,
 quam mortem. -- Redeundum nunc est ad religio-
 nem -- de religione christiana (multa contra meri-
 tum) *Genes. 3*. semen mulieris, *ipse*, sera, hebr.
 latinus interpres sic ubique omnia audet, vt saepe
 mecum reputem, an doctior fuerit, an audacior. --
 Christus -- dignatus est formam nostram adsumere,
 et in ea istos, qui nihil quam contumax terra erant,
 verbo tamquam virga ferrea vt *Psal. 2*. habetur,
 subigere. -- Iacob duabus uxoris typum Christi
 gessit -- Epitome actorum Christi. *Euangelium*.
 In Christi nomine, i. e. vi et virtute eius, per
 Christum, confit *poenitentia*. -- Initatio est
 baptis-

baptismus Ioannis, non purificatio; vt, *1 Petri 3, 21* per baptismum ablui, quomodo prisci olim homines diluicio expiabantur; ac ne baptismum aquae hic intelligamus, sed veteris hominis internam per poenitentiam immutationem, addit, hoc non inde fieri, quod sordes corporis abluantur, hoc enim solummodo posse aquam, sed cum conscientia se ipsam percunctata, et vt erga deum habeat, probe sibi respondet. -- Occursum est huic malo baptis-
mi symbolo; nam vt quisque istud in se recepisset,
pudor erat, palam ad poenitentiam initiatum esse, et palam prioribus flagitiis inquinari. Haec breuiter de baptismi symbolo; de quo alias multa, propter eos, qui putant eum vel peccata detergere, vel de-
terorum signum ac certificationem esse. -- *Ioh. 6,*
de huius capitris argumento fuisus -- propter eos,
qui allegoriam hic esse non vident. -- Contra poe-
nitentiam a pontifice iussam. *De lege.* Satis su-
perque ab aliis dictum est, quid lex quid peccatum
sit; -- peccatum bifarium in euangelica doctrina ac-
cipitur; pro morbo isto, quem ex generis auctore
trahimus; et pro eo, quod contra legem sit; actio
quae cunque contra legem. -- Venundatus sub
peccatum non aliter, quam *ναρές λόσιος*, seu vile
mancipium (hic facile poterat *Carolus* menti ob-
versari). *De peccato in Spiritum S.* *De clau-
ibus*, eorum materia est ipsum euangelium (multa
contra pontificios doctores) -- soluere, est despe-
rantem saluti mentem ad certam spem erigere; liga-
re, obstinatam mentem deferere -- *de ecclesia*; ver-
bofa praefatione orditur, contra superciliosos, qui
nihil recipiunt, quod ipsi non tradiderint; quorum-
dam scripta adeo impura sunt, quod ad veritatem
attinet, quamvis, quod ad fucum, nitidissima, vt
nescias, an satius fuisset, stilum numquam leuasse,
quam veritatem adeo inuercundis blanditiis in-

II. Lib.

G

voluisse

voluisse -- nos ad multorum hallucinationes coniuiimus -- omisis illorum nominibus prodidi, quod in sacris litteris videbam, pro mea paruitate &c. (haec haud scio annon Wittebergenses petant.) -- De ecclesia contra *Emserum* (iam anno 1525. mensē Augusto ediderat; hic ad verbum inseruit.) *De Sacramentis.* Vocem istam magnopere cupiam germanicis numquam fuisse receptam -- non libenter dissentimus a magnis viris, praesertim hac aetate — *Emserum* et *Eggium* excipio, pestes doctrinae Christi. *Sacramentum* -- initatio, celebris et feria ad sodalitatem aut functionem τελετη, arcana consignatio verbis conceptis -- *Sacmenta* non habere vim mundandi, cum secundi vidissent, tradiderunt esse signa quaedam, quae dum fiant, certum reddunt hominem de eo, quod interius sit. -- Figit ergo ista opinio secunda, nam sic libertas spiritus diuini alligata esset. -- Tertio loco prodierunt, qui tradiderunt, signa esse, quae certum faciant rei intus iam peractae. Sed -- Sunt ergo (potius) signa, vel ceremoniae, pace tamen omnium dicam, siue neotericorum siue veterum, quibus se homo probat ecclesiae esse aut candidatum aut militem Christi; redduntque ecclesiam totam potius certiorem *de fide tua*, quam te. -- *De matrimonio.* Latinus interpres, quoties *arcanum* pro μυσητω traducere debuisset, sacramentum transtulit -- matrimonium foedus cum sit, quod inter duos modo constat, hac voce obscurari non patiamur. - Inter baptismum Ioannis et Christi discrimen nullum est, quod ad caussam et finem attinet - Christus baptismo Iohannis contentus fuit; si eius baptismus quiddam plenius habuisset, secundario nimirum tinxisset discipulos; *Aetor. 19, 5. de baptismo doctrinae, correctione, meliori institutione, intelligendum.* *De Eucharistia.* Scripsimus ante annos duos inter articulos

los 67, decimo octauo de Eucharistia, vbi temporis
 multa potius scripsimus - multa dedimus ea tempe-
 state horum teneritudini, quibus scripsimus, sed
 omnia, vt aedificaremus - noluimus cibum dare,
 cum intempestiu[m] esset. Eucharistias nomen de-
 derunt graeci coenae dominicae, plentiores semper
 ac doctiores latinis. - Publica gratiarum actio, vnde
 et communio seu communicatio i Cor. 10, hinc
excommunicatio. - Iohan. 6. a multo plurimis
 germane non intelligitur; statuimus ergo ante omnia,
 nativum eius loci sensum adserere, ne hinc possint
 ad suum errorem tuendum arma petere - penitus
 errant, qui toto isto capite Christum putant quic-
 quam de sacramentali cibo loqui. - Ecclesia Christi
 ne admittet quidem hanc quaestione[m], an corpus
 Christi realiter, corporaliter aut essentialiter sit in
 sacramento -- murus aheneus esto, caro non prodest
 quicquam. -- Theologi isti (Wittebergenses)
 fidem violentam animi nostri ad quamuis rem
 etiam disparatissimam conuersionem liberam -- nec
 eos audiendos esse putamus, qui decernunt, edimus
 veram corporeamque Christi carnem, sed spirituali-
 ter -- nec placent alii, qui symbolicum sensum vo-
 lunt, hoc corpus meum iam tradetur pro vobis --
 difficultas non est in pronomine hoc, sed in verbo
est; audio *Viclefum* et *Valdenses* etiam hodie in
 hac esse sententia, vt *est* hic sit positum pro *signifi-*
catur. Colligemus scripturae locos, in quibus ne-
 gari non potest, *est* pro *significat* ponи. -- Fides
 consulenda est (in nobis,) quae si dictat in isto ser-
 monе, *est* in nativa significatione mittendum esse,
 fidei parendum est -- sin autem fides hunc sensum
 tolerare non potest, erit omnino alia significatio.
 Ponitur ergo nostro iudicio hoc verbum *est*, pro
 significat, quamuis hoc iudicium non nostrum sed
 aeterni dei sit; de nulla enim re gloriari possumus,

100 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

quam non fecerit in nobis Christus, *Rom.* 15 -- Accipitur testamentum abusive pro signo aut symbolo testamenti - vt apud *Ciceronem* saepe numero, apertum est testamentum et lectum; at litterae non erant testamentum, sed bona legata; in litteris continebatur. -- Commemoramus Christi mortem et sanguinis effusionem, quid nam boni nobis attulerint. -- Cur non omnes missatores desistere iubemus a tam atroci Christi contumelia? -- omittendae sunt confessim omnes missae - nec tamen iniuria villa irroganda est iis missatoribus, qui ad hoc munus electi sunt, sed cum pace alendi, donec vita defungantur. -- *Auctor.* 13. in nostra translatione, cum sacrificarent domino, graecis est λειτεργυστων, ministrantibus, per omne N. T. cum de coena dominica agitur, hoc verbum non adducitur. -- Hinc factum est, vt qui in isto pane communicarent, sese mutuo expellerent excommunicatione ista, si quis impudentius aut scortaretur aut biberet, soeneraret, idola coleret -- deum nemo vidit umquam, quid ergo adoramus (in eucharistia) quod videmus? quis umquam gratiarum actionem (eucharistiam) adoravit? - nunc eos veterum producamus, qui - non corpoream carnem, imo nullam (aqueum enim ignem) in isto sive sacramento sive pane symbolico esse dixerunt. - Facile adducimur, *Augustinum*, praetaliis acuto perspicacique ingenio virum, sua tempestate non fuisse ausum diserte veritatem proloqui, quae iam casum magnam partem dederat; - inuauerat opinio de corporea carne - - (narrat, se iam annis aliquot hanc rem cum multis doctis clam contulisse) de ea ad euangelistam Reutlingensem (*Alberum*) scripsi, cum adiuratione, ne quisquam excuderet - Spiritualiter Christi corpus edere, quid aliud esse potest, quam Christo fidere? quid noua commenta excogitamus, (spirituale corpus) - num fides nostra hoc



hoc efficere potest, vt panis sit caro? verbo dei
hoc erat solide probandum, quo fides locum habe-
ret. - De *Confessione*. Litterae verae sacrae aliam
confessionem ignorant, quam qua se homo cognouit
et ad misericordiam Dei abiecit - - si minus quid
constet, crebro prudentem scribam adeamus, qui
loculos non spectet, sed conscientiam. *Confirmatio*
tunc sumfit initium, cum vulgo coeptum eit in-
fantes tingi, cum apud priscos ii modo tingerentur,
qui in vitae dimicatione constituti essent - - de *ma-
trimonio* - missent igitur scortatores, qui ad hanc
abominationem sunt accommodatores, quam ho-
nesti mariti; sed verbum administret in ecclesia dei
maritus vnius vxoris - - cur non sinimus in pace
defungi et sacerdotiis neminem vltra imponimus,
sed ea bona conuertimus in pauperum usum? —
nemo priuatus hoc faciat - regi aut magistratui ista
relinque disponenda - *De votis* - - omnibus ex
aequo dictum est, si te non contines, nube; nam
quod de voto obiicitur, sic nullam vim habet infir-
mandi legem dei, vt etiam summa sit impietas,
ipsam prodere propter traditiones nostras, *Matth.* 15.-
quod de Nazareis quidam obiiciunt, *Num.* 6. iam
dudum exoletum est; multa enim praecepit domin-
nus filii Israel, quibus ipse nec egebat nec delecta-
batur, sed fieri sibi iubebat, ne daemoniis fierent,
vt fuerunt varii oblationum ritus - more caetera-
rum gentium, - paupertatis - obedientiae votum
(iam praeceperat Christus, quid ergo voues,) —
scortantur impudentius canibus - nusquam licet
diuitias cum maiori tranquillitate inuenire, quam in
monasteriis. - - Obedientia vero sic habet, vt si
parens egeat, opem ferre non liceat - dum magistra-
tus iubent contribuere, immunes sunt, - - obiiciunt,
se dei obsequiis mancipatos, agere ista non posse -
nemini quicquam debent, quam sibi. - De *diuo-*

rum iuuocatione; ex Antibolo aduersus *Emserum*. - Hactenus aduersus Emserum; vidimus interim libellum cuiusdam magni apud Gallos Theologi - sic ignorat infelix homo, quid deus sit, quid fides . vt, si numquam antehac fidem habuissimus isti verbo, nemo venit ad me nisi pater traxerit illum, nunc tamen cogerer verissimum esse agnoscerre. -- Scio *Hieronymos*, *Augustinos*, alios: sed simul scio Christum et apostolos, quorum nemo quicquam tale (de patrocinio sanctorum requirendo) vñquam prodidit. De merito. - Qui prouidentiam et *praedestinationem* recte cognoverit, liberum arbitrium et meritum, quid nam sint, ignorare non potest - si licet magna pars componere, hoc est deus in mundo, quod ratio in homine; cum videamus rationem praesidere omnibus actionibus, motibus, requitionibus, (nōstris) qui sit, vt non eodem modo dei prouidentia sic omnia geri ac disponi confiteamur, vt nihil citra ipsius voluntatem aut imperium fiat? Veremur, ne cogamur deum esse malorum quoque autorem confiteri - quaedam sunt, quorum causam et finem ignoramus, nolumus in eis diuinam prouidentiam agnoscere, quae nobis vtitur, imo rebus cunctis, pro sua libertate. Nec illi turpe est, quod nobis; quod enim nobis turpia sunt, ex eo prouenit, quod lex nobis imposita est, -- ne adfectus nostri modum excedant; hi autem in deo cum non sint, legi non est obnoxius, sed hoc ipsum est, quod a nobis per legem exigit. - Nascitur autem praedestinatio, quae nihil aliud est, quam praeordinatio, ex prouidentia, imo est ipsa prouidentia - a summo bono alienum esset, omnia nosse priusquam fierent, nec omnia disponere et ordinare posse; rursus omnia ordinare, scire et posse nec tamen facere, illiberale imo inuidiosum esset. Prudentia dei ergo simul tolluntur et liberum arbitrium

trium et meritum — cum illa disponat omnia, et ipsius opera omnia fiant, quomodo nos quicquam merebimur? — quidam, qui in prouidentiae cognitionem venerant, operum merita magnificant, sed in viuum eorum, qui prouidentiam non clare cognoscabant, ne scilicet scelera tanta designarent; quales fuerunt prophetae, qui ad bona opera vehementer vrgent, sed quos? male fideles — noluerunt diuini homines gloriae dei tranquillitatique publicae vspiam deesse - sunt quidam adeo stupidi, vt deuin non alio quam suo metiantur pede, cumque se agnoscant omnia illiberaliter, propter retributio-
nen facere, induci non possunt, vt deo aliter statuant — horum imbecillitate aut potius perfidia deus abutitur, et praemii spe ad bona opera (externa) inuitat, ne interim suis quicquam desit — cur non efficit deus, vt et hi, illiberales, clariss videant? respondeo, ad hunc abi, qui illos creauit, et rationem actionum eius ab illo percontare — cognitio dei strenue inculcanda, excitanda fides; prodibunt sua sponte bona opera — qui pii sunt, non contendunt; qui autem, hac tempestate, mox, vt vnum pedem latius promouerunt, quam vulgo fieri videant, omnes p[ro]ae se contemnunt, tam non sunt pii, quam qui operibus nituntur; pietas omnia fert, omnia facit — tolerat imbecillum, condolet infirmo vasi. Si liceat hic quorundam hypocrisin protrahere, qui in vniuersum nihil, quam eruditionem suam ostentant, nec ferre possunt, si quem se videant eruditione antevertere, offendremus quidem, sed simplicibus caueremus. Ne ergo tumultuosulis istis fel omne exulceremus, hac contenti sumus docendi ratione. — Qui hanc viam non recipiunt, simul debent, lege, spe, metu extimulari, vt idem faciant, quod, piissimi quique; videamus hac via incessisse prophetas, Christum et Apo-

104 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

stolos. Ex Antibolo aduersus Emserum, de merito.
de oratione; mirabile est, quod haec quoque in
 quaestum abiit - habent tamen quaelibet ecclesiae
 suum morem, non enim omnia omnibus conueni-
 unt - de *purgatorio* - ex Antibolo aduersus Emse-
 rum. -- De *magistratu* (multa contra Ana-
 baptistas et pontificem romanum) de *Scandalo* - in
 docendo tempestivitas maxime spectanda est - im-
 prudenter faciunt, qui durissima primo proponunt -
 vt scandali ratio in externis seruanda - de *statuis et*
imaginibus -- nemo tam stolidus est, qui putet
 abolendas esse statuas et imagines, vbi nullus eis
 cultus exhibetur, quem enim moueant Cherubim --
 Epilogus - - hunc commentarium mensibus tribus
 et dimidio domi prae loque festinatum - -

Facile ex istis colligere licet, *Zwinglium* inter
 viros eius temporis suum locum obtinuisse, quos
 et eruditio et animi probitas praecipue commenda-
 vit. Contra *Anabaptistas* aliis fere grauius et
 felicius scripsit. Atque vtitur omnino scribendi
 genere eleganti et facilis, liberrime autem et felici-
 ter reprehendit ecclesiae romanae eius temporis abu-
 sus plerosque omnes. Alio loco commemorat,
 quod suis manibus graeci N. T. partem (Episto-
 las Pauli sub annum 1516) ipse sibi descriperit;
 pluribus autem documentis de eo facile constat,
Zwinglium, cuius *Thomas Wittembachius* praec-
 ceptor fuit, meliores scriptores graecos latinosque,
 tam illos, quos solent classicos dicere, quam pa-
 tres, diligentissime legisse. Atque facile illud vide-
 tur posse concedi, eum a *Wittenbergensibus* pa-
 rum aut nihil sumissee, qui ex ipsis fontibus, quos et
 alii adire solebant, suo praeclaro usus ingenio pe-
 tebat, quae *Pellicanus*, *Oecolampadius*, *Eras-
 mus*, *Lutherus*, *Melancthon*, *Bugenhagen*,
 alii,

ali, pro suo quisque modulo, hauriebant. Non desuit autem ei vehementia quaedam, in auersandis omnibus, quae ei videbantur non satis a pontificiorum docendi genere remota esse; atque ideo solet hic ibi *Wittebergenses* tangere et pungere, quos ista scribendi ratione ad amicam societatem iusto minus prouocare studuit. Lectu dignae sunt plures epistolae et scriptiones, ad *Lutherum*, *Bugenham*, aliasque; in quibus eruditionem atque grauitatem nemo desiderabit. Nempe si *Zwinglius* isto in loco fuisset, Caesaris imperiique rom. mandatis quotidie patens; haud scio, anne istam *οἰκονομιαν* per longum adhuc tempus fuerit secuturus, quam per plures annos ipse tenuit: ut contra missam palam diceret nihil. Amemus autem dei sapientiam, qui πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως isto tempore homines ex ipsis monasticis tenebris et saeculiis vindicatum iuit; aberratum si quid forte reperimus, aut putemus, studiosissime caueamus, et sine Φιλοτιμίᾳ, (cuius haud scio an sint in *Zwinglio*, viro cetera optimo, minora et obscuriora vestigia, quam in *Luthero* ille videbatur animaduertisse,) cognitionem liberam Christianam adiuuemus. Homines humano more agunt; variis in vasis salubres cibi continentur.

§. XXII.

Non defuerunt statim ex isto tempore e pontificiis scriptoribus, qui pristina ista decreta satis feceriter defendere auderent. Frater *Syluester*, de *Priorio*, ordinis praedicatorum, palatii apostolici magister, inter primos pertinet, qui statim scripsit in *Lutheri conclusiones*, *de potestate papae*, cui reposuit *Lutherus* isto iam anno 1518.; scripsit et *Ecclius* obeliscos aduersus disputationes *Lutheri* de indulgentiis; quibus *Lutherus Asteriscos* opposuit. Reuocat *Lutherus* a *Thoma* ad scripturam, ad pa-

Pontificio-
rum scripti-
ones.

tres; - talia in populo doceri non possunt, nec ad
 scripturae intelligentiam faciunt, ad contentiones
 fouendas conficta. Saepius respondit *Syluester*;
 nec tacuit *Lutherus*, qui marginalibus scholiis *Epi-*
tomēn responsionis *Sylvestri* felicissime retudit,
 liberrime suo iudicio usus, loco illius *creditur*;
 quod verbum *impersonale* lepide dicit fundamen-
 tum esse romanae theologiae. Hanc libertatem
 scimus, et *Bohemos*, et *Gallos*, *Italos* aliosque
 sub ista tempora exosculatos esse, libellosque *Lu-*
theri audie omnes fere in *Europae* partes distra-
 ctos; quos operaे pretium est e *Lutheri* operibus
 repetere eos omnes, qui velint de diverso docendi et
 scribendi ingenio melius iudicare. Illud certum est,
 frigere fere atque sordere Romanos eius temporis
 scriptores, *Emserum*, *Cochlaeum*, Ioh. *Roffen-*
sem, &c. qui ne vestigium quidem liberalis ingenii
 produnt. Atque, nisi ea species vitanda nobis esset,
 quae est odii et contemptus iniusti, omitteremus rei
 aliquod exemplum adferre; adeo videntur haec omnia
 esse certa et plane confirmata, consentiente bonorum
 omnium testimonio. Paucis tamen recensebimus
Enchiridion locorum communium aduersus Luthe-
 ranos, *Iohanne Eckio* auctore, praecipue eo no-
 minē: quod fatetur, ista se collegisse, ex libris se-
 renissimi regis Angliae, Henrici 8, *Iohannis Rof-*
fensis episcopi, Marcelli corcyrensis ep. *Iohannis*
Fabri, constant. ep. *Hieronymi Emseri*, *Iohannis*
Cochlaei, *Ambrosii Catharini*, *Casparis Schatz-*
ger, *Bartholom. Vsingii*, *Augustini Alueldii*,
 et aliorum catholicorum. Utimur editione quarto
 recognita, et tribus locis aucta, a. 1527. Prima
 editio fuit anni 1525, tanto tempore post, imitari
 ausus est *Melancthonis* locos. Initium est, de
Ecclesia et eius auctoritate; est corpus Christi,
 sponsa Christi, regnum caelorum; *Ephes.* 4.
 omnia

omnia subiecit pedibus eius &c. *Cantic.* 6. vna est columba &c. *Ephes.* 5. - Sicut vna fuit archa, extra illam nemo saluatur - nostra ecclesia ante Ludderum erat ecclesia, quae credidit missam sacrificium, 7 sacramenta - synagogam deus reliquit 70 duntaxat annis in captiuitate, quomodo ecclesiam suam sponsam relinqueret M. annis? — Si in parola ecclesia dicitur regnum caelorum, quomodo in regno illo error et falsitas regnasset M annis? — habemus magisterium spiritus Sancti, quomodo eraret ecclesia? — intelligentiam veram scripturae credendum est potius inspirare deum concordi unitati ecclesiae, quam priuato homini, *Luddero, Zwinglia aut Osiandro* — Praelatos et potiores congregatos esse ecclesiam repraesentatiuam, patet ex 3 Reg. 8. — Obiiciunt haeretici, 1. 2. 3. &c. Diluuntur obiecta. 1. Christus non scripsit, nec praecepit apostolis ad scribendum; at ecclesia multa praecepit. 2. Ecclesia est antiquior scriptura. 3. Paucissima reperiuntur scripta; tamen cum apostoli tam diligenter fuerint in verbo, consecrarium est, multo plura eos docuisse, quae parem cum scriptis habent auctoritatem. 4. Scriptura non est authentica siue auctoritate ecclesiae; scriptores enim canonici sunt membra ecclesiae. Vnde haeretico volenti contendere, obiiciatur, vnde sciat has scripturas esse canonicas - (in margine, *Achilleum pro catholicis*). - Ecclesia quaedam mutauit, contra scripturam e. g. Sabbatum; cessatio legalium, baptizarunt in primitua ecclesia in nomine Christi Iesu, licet in nomine trinitatis fieri mandetur, *Matth.* vltimo. De conciliis cap. 2. Ecce formam concilii apostolici *Actor.* 15. Antiochia recepit conclusa Hierosolymis, *Ludder* respuit conclusa romae. - Tollatur conciliorum auctoritas, et omnia in ecclesia erunt ambigua - reiicient scripturam,

ram, quam vellent, sicut *Ludder* reiicit epistolam S. *Iacobi* et *Machabaeorum* - Obiiciunt haeretici 1-4. Obiiciunt Layci, 5, cum sint de ecclesia - Diluuntur obiecta 1. in concilio generali, *Spiritus* S. eos falli non sinit. Sicut scriptores canonici infallibiliter scripserunt, sic patres in conciliis. 2. Concilium carthag. sub *Cypriano* cum 80 episcopis, (quod errauit in rebaptizandis haereticis) non fuit plenarium; particularia autem possunt errare. 3. Ariminense 600 episcoporum (quod errauit cum *Ario*) non fuit legitime congregatum - 4. Concilia generalia varia determinarunt, (e. c. constantiense primatum papae contra *Nicaenum*;) pro qualitate temporum in moribus et regimine possunt varie determinare; at in credendis se non destruxerunt. 5. Laici possunt interesse conciliis vt testes, defensores, consiliarii, executores, sed numquam habuerunt vocem diffinitiuam. De primatu sedis apostolicae et Petri, cap. III. Per verba Christi *Matth.* 16, Petro datur primatus, vt patres testantur. Etiam per verba, pasee agnos meos, vt patres testantur; item *Luc.* 22, ecce *Satanas* &c. *Matth.* 17, vade ad mare - quae omnia latissime adstruximus libris 3 de primatu Petri, et multa rara inuenies in magno opere contra *Ludderum* *Ioh. Fabri*. *Ratio* suadet; fuit summus sacerdos in Veteri lege; monarchicalm regimen est optimum. Obiiciunt haeretici, 1-7. Diluentur ista. 1. Fatemur claves datas ecclesiae, sed in persona Petri, qui gessit personam ecclesiae, sicut imperator Germaniae. 2. Praeuoluerunt portae ecclesiae aduersus personas Petro succedentes, non aduersus potestatem, successio Petri in potestate mansit, licet personae peccarent. Petro negante Christum, nondum ecclesia erat fundata super eum. Christus est quidem Petra, principialis; sed habet vicarios et substitutos, secundarias petras

petras. 4. Petrus annis 18 post Christum passum fuit in Hierusalem &c. errat Ludder, Petrum tam tarde venisse Romam - Petrus erat summus pontifex vbi cunque erat. 5. Petrus numquam fuit Romae &c. Hoc est nouum mendacium *Vrbani Riegers* (Regii) aut alterius Ludderani - Falsum est, *Constantinum* primum dedisse primatum romano pontifici, cum ante habuerint ex Euangelio. - Ex scripturis temere pugnare haereticos contendunt scripturas sacras esse claras, ideo laici et delirae anus eas tractant imperiose - contri dicit Petrus, 2 *Petri* 3, loquens de epistolis Pauli - si scriptura est apertissima, mirum, cur sancti patres non intellexerunt; s. *Augustino, Hieronymo, Thomae* fuit obscura, quomodo laicis luderanis erit aperata? - Ludderani sunt Theologi atramentales, secundum corticem - Cap. 5. *de fide et operibus* -- opera aliquid esse, gratia dei acceptante, ostenditur ex locis istis - nullibi dicitur, iustum ex sola fide viuere, credere in deum, vsu scripturae includit adhaerere deo per caritatem, (fidem formatam, ut appellant iuniores theologi). - Omnes Ludderani coacti argumentis fidelium, incipiunt distinguere de fide; veram, formatam fidem, appellant in vulgari nostro, den liebreichen wohlthätigen Glauhen, aliam nominant historicam. - De *Confirmatione* Cap. 6. in confirmatione est signum sensibile, habens infallibilem assentiam gratiae spiritus S. ideo est sacramentum - *Dionysius areopag.* recenset illius mysteria, et τελετην vnguenti dixit appellatam ab Apostolis. De *ordinis sacramento*, cap. 7. *Matth. 6. Luc. 10. c. 22. Ioh. 20,* misit eos - *Auctor. 13* et alibi, imponere manus - in coena fecit Christus apostolos sacerdotes dans eis potestatem consecrandi - *Ignatius*, recenset omnes ordines; ecce tempore apostolorum fuisse omnes ordines.

110 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

ordines. Obiiciunt laici, omnes Christianos esse sacerdotes - respondent catholici, ordinationes istas Ludderanas solitas fuisse apud haereticos, docuit ante 1300 annos *Tertullianus* - fideles sunt sacerdotes sicut reges, i. spiritualiter. - De *Confessione* cap. 8. *Ioh.* 20, insufflavit eos &c. *Iacobi* 5, *Acto.* 19, praxis ecclesiae optime interpretatur scripturas. *Dionysius ad Demophilum*, *Origenes* super *Psalm.* 37 haec omnia probant auricularem confessionem. Obiic. *Ioh.* 20 nil praecipitur de confessione. Respond. magisterio Spiritus S. didicit ecclesia vsum illius potestatis (absoluendi) ab ipsis apostolis. De *Eucharistia* sub vtraque specie, cap. 9. sufficere laicis alteram speciem ostenditur - *Ioh.* 6, panis verus - discipulis euntibus in *Emmaus* sola specie panis dedit eis Christus sacramentum, secundum *Augustinum* et *Chrysostomum*. *Matth.* 6. *panem* nostrum, praedixit dominus de posteris Hely, i *Regum* 2, ad partem sacerdotalem; et ita constituit sacra *constantiensis* synodus - fatemur istum vsum fuisse in primitiva ecclesia, nec tamen vniuersalis fuit, *Acto.* 2. at ab ecclesia mutatus. 1) Ob effusione - non facile sacramentum vini conseruari possit pro infirmis, quia acescit, putrescit, mouens nau- seam vel vomitum - non posset deferri sine periculo -- Rem miraculis testamat refert *Alex. de Ales*, apparuit patena plena sanguine; credendum est, quod sit vnum, quod veniat ex traditione apostolorum. - De *matrimonio* cap. X; esse sacramentum ostenditur *Ephes.* 5. i *Cor.* 7. probabile est, benedictionem *Genes.* 2. non fuisse sine gratia - De *extrema unctione*, cap. XI; est sacramentum ecclesiae dei a S. *Iacobo* promulgatum - de *humanis constitutionibus* c. 12, humana constitutio conciliorum et pontificum seruanda; qui vos audit &c. tenete traditiones &c. Paulus tot leges dedit de

con-



DA LIBER. ERVDIT. THEOLOGIC. III

constituendis episcopis, viduis &c. et tamen homo fuit. - Obiciunt: frustra me colunt, *Marci* 7. resp. non improbat simpliciter, sed quas faciebant contrarias legi diuinæ - ecclesiae vero constitutiones angent cultum diuinum - *Deuter.* 4 et 12, non addetis verbum &c. resp. quod corruptat - fecis, quando promouet ea, quae in sacris litteris sunt mandata - Acutius soluitur; quod ibi prohibentur *Tikun Zofrim*, et illam solutionem credo veram, de quo alibi. *De festis et ieuniis*; non vsu carnium, et gradibus consanguinitatis. - Colligamus festos dies Iudeorum, praeter sabbatum - cum autem maiora receperimus beneficia a deo per euangelium, quam Iudei sub lege, cur non plures etiam dies agendi gratias habeamus? - Festum diem S. *Laurentii* celebrabant Hyppone, Augustin. -- de quadragesima, *Matth.* 4. *Ignatius* ad Philipp. -- Gradus consanguinitatis impediunt matrimonium, *Gregorius* episcopis Galliae &c. *Ambrosius* docet, non omnes gradus illicitos esse a lege expressos, e. c. filiam non ducere; ante tempora b. *Gregorii* dispensabantur etiam in secundo gradu. - De *veneratione sanctorum* cap. 14. Sancti ut amici dei sunt implorandi, non latria, tamen dulya. *Ioh.* 12 honorificabit eum pater meus - ite ad seruum meum *Iob*, et offeret pro vobis - *Apoc.* 6 et 8, orationes sanctorum - per sanctos petimus, velut membra, in nomine Iesu, capit. Ad *Hieremiam* c. 15, si starent Moses et Samuel coram me, respondet *Zwinglius*, intelligi, si viuerent adhuc et intercederent - sed illa glossa non est fundata in scriptoribus, conciliis, sed somniata ex indocto et insano cerebro *Zwinglii*, sanguinolenti haeretici. Augustinus lib. 20, c. 21. populus memorias martyrum concelebrat, ut meritis illorum consocietur, orationibus adiuuetur. De *imaginibus crucifixi* et sancto-

112 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

sanctorum, cap. 15. Imagines aliquas deus praecepit, licet gens Iudea esset propensior in idolatriam - Iosua moriturus posuit lapidem praegrandem subter quercum, quae erat in sanctuario domini. - Christum mississe imaginem viuificae faciei sua Abagaro, adseruatur *Genuae* in ecclesia S. Bartholomaei. - *Carolus magnus* quatuor libros scripsit contra volentes tollere imagines, vnde *Turicenses* fundatorem eorum et patronum Carolum potius sequi deberent, quam haereticum *Zwinglium*. - Et *Ludder* vel in *hac parte sapit*, quod *Carlstadium* exi *Saxonia* curavit proscribi, et pro viribus haeresi *Felicianae* resistit. *Ludder* contra *Carlstadium* sic inquit: imagines rememoratiuas aut testimoniales, (crucifixi et sanctorum) probatum est esse tolerandas - laudabiles et honorabiles, sicut statuae Iosuae et Samuelis. - Non facies sculptile (vt adoretur) in hunc finem non debent fieri, et ita *Ludder* met intelligit; si *Leo Iud Turicensis* iudaico more litterae affigitur, *Salomon* peccauit, quando fecit 12 leunculos in folio suo - in moneta ait Christus, cuius est imago. De *missae officio*, cap. 16. sacrificium nouae legis *Mich.* 1. praedicitur; *Malach.* 3. purgabit filios Leui - offerentes sacrificia in iustitia — ab apostolis traditam missam, ostendit *Ignatius ad Smyrnenses*, *Irenaeus* lib. 4, c. 32. Missam dicit sacrificium Chrysostomus; vide latius librum nostrum de sacrificio missae - facerdos in persona ecclesiae praesentat deo patri memoriam oblationis, quam Christus semel perfecit. - Actio repraesentativa totius passionis. De *votis* c. 17 vota reddenda esse scriptura docet, natura dictat, honestas imperat - copiose de his in *Schazgero*. De *caelibatu Clericorum* cap. 18. *Leuit.* 21 - *1 Cor.* 7, volo vos sine sollicitudine esse; canon *Apost.* 17. concil. carthag. caesar. - videtur mihi, quod illius folius

solius est offerre sacrificium inde sinens, qui inde sinenter se deuouerit castitati. - Nouum genus vincendi tentationes carnis adfert nobis haereticus, vt scilicet desideriis carnis obediamus. - De *cardinalibus et legatis sedis apostolicae* cap. 19. Christus associauit sibi 12 apostolos et 72 discipulos - sic papa habet adstantes cardinales, et forte prius in re discipuli fuerunt cardinales, quam apostoli - in primitiva ecclesia non dicebantur nisi presbyteri et diaconi urbis romae; postea inditum fuit eis nomen cardinalium - licet donatio *Constantini* indicet antiquius fuisse - de *excommunicatione* cap. 20. — De bello in *Thurcas*, cap. 21. — Ludderani, serui iniquitatis, volunt, vt verba patiamur Turcarum, catholicorum autem verba etiam pia pati non possunt - sperandum est, amissis duabus imperiis et 36 regnis deus tandem misereatur nostri, vt decantemus Psal. 136. — De *immunitate et diuitiis ecclesiarum* cap. 22. Nolite tangere Christos meos - quis militat stipendiis suis? 1 Tim. 3 episcopum oportet esse - hospitalem - quomodo hospitalis, si nihil haberet? - *Iulianus*, apostata, clericis substraxit, omnia priuilegia et honores - obiiciunt: Christus Pilato testimonium perhibuit, quia haberet potestatem in eum: Respond. egregiam rem molaris, vt omnes iudices sint Pilati. — De *indulgentiis* cap. 23. quia indulgentiae sunt duntaxat satisfactoriae poenae pro peccatis debitae, ostendamus, aliud esse meritum, aliud satisfactionem - figura fuerint Iubilaei in vet. testam. -- quod vniuersa recepit, credit et tenuit ecclesia, quomodo posset esse in fide erroneum? De *purgatorio* cap. 23. purgatorium esse, satis constat ex scriptura, ecclesia et patribus. 1 Cor. 3 - ignis probabit. De purgatorio hoc intellexerunt *Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Alcuinus.* Matth. 5, in

II. Lib.

H

carce-

114 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

carcerem mittaris - quadrantem. Intelligit *Ambro-*
sius purgatorium. Matth. 12, nec in hoc seculo
 nec in futuro . b. *Gregorius* docet, de quibusdam
 culpis ante iudicium purgantis ignis credendus est.
 De *annatis* cap. 25; sic appellant in euria romana,
 quod ordinarii locorum nominant medios seu pri-
 mos fructus, et pro confirmatione episcopi, solent
 appellare redemtionem pallii - Filiis Leui dedi-
 omnes decimas, Israel, Num. 18. - Romanam ec-
 clesiam, vbi ius nullum habet, excusat necessitas -
 Sequitur errasse Platinam et Blondum et quosdam
 consarcinatores *grauaminum* Germaniae - isti duo
 testes, *Hofstiensis* et Io. *Andreae* frangunt menda-
 cia osorum status ecclesiastici . si episcopi vellet ne-
 gare annatas pontifici, sequitur, eadem facilitate
 negarent laici decimas sacerdotibus, vnde ex eccl-
 esia faceremus Babylonem. - De *haereticis combu-*
rendis cap. 26. prima poena haereticorum in N.
 T. fuit excommunicatio. - Lopus bene arceri
 debet, sed si aliter non potest consuli saluti gregis,
 lupus interimendus est; haeretici autem sunt lupi,
 dicente Christo, Matth. 7 - intus sunt lupi rapaces.
 Iesus cum fecisset quasi flagellum omnes ciecit - si
 hoc nummularii, quid tunc haereticis faceret? -
 Comburebantur *Aetor.* 19. libri curiosi, quanto
 magis haeretici! - non *disputandum cum haere-*
ticis cap. 27. Gelasius: maiores nostri diuina in-
 spiratione cernentes necessario praeccauerunt, vt
 quod contra haeresin synodus semel pro fidei com-
 munione promulgasset, non finerent nouis post hac
 retractionibus mutilari - Ludderani haeretici frau-
 dulenter obtendunt disputationem - quomodo ve-
 nirent ad disputationem coram doctis, cum sciant
 Theologos studiorum generalium (vniuersitatum)
Galliae, Hispaniae et Angliae contra eos con-
 clusisse - in disputando finem intendunt, quod ad
 se

se trahant laicos, clericis alloquin infestos — quis vel micam habens fidei vel prudentiae ista poterit indicare disputanda coram frigidis et male sentientibus laicis, quae a sanctis patribus a 1200 et 1300 annis fuerunt constituta? *Auctorium* - cogimus quamvis inuitissimi hos adicere locos; via enim et ianua per *Ludderum* aperta omnibus quidlibet audendi; sustulit enim *Ludder* conciliorum sententiam, Pontificum iudicium, patrum responsa - *sub Eucharistia esse verum corpus Christi* cap. 28. - Obiciunt haeretici capharnaitae 1) Christus Matth. 26 inquit, me non semper habebitis, at si esset in eucharistia, eum semper haberemus. 2) Caro non prodest quicquam. 3) Donec finiatur seculum, sursum est dominus. *Andreas Bodenstein*, primus resuscitator huius haeresis, adducit illa pro errore suo. 1) Sequeretur panem pro nobis esse crucifixum; 2) non dixit, accipite corpus meum. 3) Panis non fit melior per hoc murmur sacerdotum. 4) In coena habuit Christus corpus mortale; iam non verum esset, quod pro vobis tradetur. 5) Nolite credere si dicunt, hic est Christus, ibi est Christus; ergo nec in hostia. 6) Apostolus nominat, non sacramentum, sed coenam domini 1 *Cor.* 10. Paulus loquitur de communione passionis Christi. *Zwinglius* et *Oecolampadius Carlstadii* sententiam amplexi sunt. Repelluntur ista a Catholicis. - Quae *Carlstadius* ex Saxonia relegatus odio *Ludder* effudit, omnia sunt tam impia et obtusa, ut responsionem non mereantur. Dicamus tamen, *Ludder* haberet concedere, panem esse crucifixum, per communicationem idiomatum; at catholici absunt ab illa haeresi (Lutheri) quod panis maneat in eucharistia; ideo illatio *Carlstadii* non admittitur. — Eucharistia sumta est signum gratiae sumenti collatae; cum Christi corpus sit ibi

H 2

non

116 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

non modo circumscriptione, sed suis *modus* essendi insit *spiritualior*, etiam signi nomine designatur - anno 1524 mense Julio indignabatur *Oecolampadius* sanguinem Christi denegari fidelibus in synaxi; et anno nondum euoluto negat et corpus et sanguinem Christi - *Carlstad*, postquam tantum incendium de sacramento sufflavit, iam palinodiam recinit, se non proposuisse ista, ut credenda, sed certius indaganda. De baptismo puerorum, cap. 29 - pueri sunt baptizandi, contra rebaptizatores, et puer non baptisatus, damnatur, lege communis, contra *Zwinglium* - *Dionysius* de ecclesiastica hierarchia, cap. 7 - ecce pueros baptisatos ab apostolis, sub sponsione patrinorum - *Cyprianus* ad *Fidum* - *Augustinus* super *Genes.* lib. 10, c. 23, consuetudo ecclesiae matris in baptizandis parvulis nequam spernenda est, nec vlo modo superflua disputanda; nec omnino credenda, nisi esset apostolica traditio. - Ratio id evincit in fide fundata. Habent enim parvuli peccatum originale; cur ergo pater misericordiarum dominus non instituisset eis remedium, ut aliena voluntate cooperante sanarentur. - Contra rebaptizatores sic *Oecolampadius*, 1. 2. 3. - 10. 11, licet baptismus puerorum non sit clarus ex scripturis sacris, sicut et alia multa: tamen quia non sunt contra deum, sed cum deo, ideo suscipienda. - Cur ergo tu ipse, et *Lutter*, *Pillicanus*, *Carlstat*, nihil admittebatis, nisi quod claris scripturis probaretur. - *De libero arbitrio* cap. 30. - *Lutter* insanus factus negauit omnino, quia omnia de necessitate absoluta eueniant. *Genes.* 4, dominus ad *Cain* - facit liberum arbitrium - *Deuter.* 30 - *Matth.* 25, quinque talenta dedisti mihi, ecce alia quinque lucratus sum; - nisi lib. arb. haberet se actiue, lucrari non potuit; alioquin diceret, *decem* tal. se accepisse. *Augustinus* in pluri-

pluribus locis, maxime tamen libro tertio hyposticon - Obiiciunt haeretici, 1. 2. 3. - 15, extollere hoc modo liberum arb. quasi aliquid possumus ex viribus nostris, est haeresis pelagiana - ideo scholastici ponentes meritum congrui, sunt noui pelagiani. Respondent Catholici - deum esse primam causam - vnde ad omnem effectum naturalem influit generaliter, sed ad operationes bonas rationalis creaturae concurrit etiam speciali influxu - nullus homo ex se cogitat aliquid boni, sed ex gratia speciali - primus gradus solius dei; vt acquiescamus salutari inspirationi, nostrae potestatis est; (en secundum gradum, et ibi est meritum congrui,) vt adipiscamur, quod acquiescendo inspirationi cupimus, diuini munera est; (ecce gradum tertium, gratiae gratum facientis) - fatemur merita nostra esse dona dei, et data a deo, praeueniente (haec de gratia ante merita, fere dubium non est ab eruditioribus Romanis solere sic describi et decerni;) cooperante et subsequente; sed non negatur per hoc, lib. arb. concurrere actiue ad merita - deus ex misericordia praeuenit lib. arb. mouendo, misericorditer cooperatur adiuuando - indurat, indurari permittit - saluantur boni ex gratia, non ex operibus; intelligas, exclusa gratia; quia opera nihil sunt sine gratia. 10. nonne duo passeres vaeneunt - stultus Melanchthon, qui hoc dictum lacerat, contra lib. arbitrium; cum omnis homo videat, Christum velle, omnia subiecta esse prouidentiae dei. 11. Afferimus tractum patris per gratiam praeuenientem et cooperantem; sed acquiescere tractioni, non indurare corda nostra, si vocem eius audierimus, hoc est liberum arbitrium. 15. Non sunt pelagiani patres et scholastici, non enim negant peccatum originale, non dicunt hominem ex puris naturalibus posse saluari. - Vide quae scripsimus in Carlstadium,

et in opere peculiari, de libero arbitrio; vide Cochlaeum, Alphonsum a villa sancta, et Erasmus. Finis.

Sufficit iam, ista recensuisse; facile enim patet, Romanos autores praecipue uti ecclesiastico-rum scriptorum, Episcoporum, conciliorumque auctoritate; ut illud omnino atque in perpetuum credatur verum et rectum, quod fuerit olim ab ecclesia (lege quasi) semel approbatum et creditum. Hic igitur nullum liberalis ingenii supereft vestigium; neminem licet hodie adhuc requirere et tractare de theologia quadam quaestione, ad quam semel *Augustinus*, *Cyprianus*, alias, responderit, aut sententiam tulisse videri queat. Improbissimam illam feruitutem ultra non patiebantur meliora eius temporis ingenia; libertate ingenua uti audent. Sed attendamus etiam ad illud, eo felicius cessisse ista frugifera studia, quo fuerunt isti nouarum rerum autores magis et studiosius versati in litteris istis, quas ab humanitate solent nomine proprio insignire. Atque hac via caufa cadebant romanae rei statores; *Erasmus* ipse non poterat tam inuenusto et tam inepio esse ingenio, ut illiberale obsequium ecclesiae praestaret. Itaque illepede et turpiter se se dabant romani defensores; inepit interpretantur sacros libros; inepit atque imperite scribunt; inepit rhetoricantr; contra alterius partis libri plerique omnes et argumen-to liberali et scribendi genere non commendari non poterant; terrarum autem domini et magistratus facile intelligebant ipsi, hac via liberali atque ingenua et Papae imperium, et superstitionem pristinam, et improbarum fraudum, imposturarumque vim omnem facile vitari posse. Imperant igitur ipsi sacrarum caeremoniarum, quibus improba superstitione alebatur, mutationem; eligunt eruditos homines, qui academiis,

miis, scholis, et concionibus sacris praesint, et
vtilibus libris vulgatam malignitatem publice et gra-
viter conuellant.

§. XXIII.

Res iam ipsa ferebat, vt consentiente omni-
um voce pestiferi errores ita prosciberentur, vt a
re publica et ab exercitio religionis publico omnis
illa turpitudo et vitiositas arceretur; et tamen pru-
dentiae etiam suus locus esset. Ea igitur doctrinae
forma eligenda erat, quae mentem ab ipsis malignis
caerimoniis omnino auerteret, quarum omnis aucto-
ritas, nulla, quae perspici posset, ratione nitebatur;
nam a romani Pontificis sacro imperio omnia pen-
debant. Nec conueniebat Scholaisticorum timida
disciplina, quae ex Patrum testimonii pleraque re-
petebat, atque ipsum ingenium ita informabat, vt
quamuis his sententiis, quas plebis caussa transmit-
tere ad alios oportebat, ipse fidem non haberet, tibi
tamen tantum sapere potius adsuesceret, quam tuo
cum periculo christianae doctrinae liberalem indo-
lem ab ecclesiastica, quae superuenerat, seruitute
vindicare auderes. Iam vero, postquam plurimum
optimorum virorum scriptis, studiis, exemplisque
pleraque illa capita satis illustrata fuerant, quibus
ecclesiae illa corruptio maxime continebatur: tan-
dema hic ibi principes et magistratus sustinebant suis
in terris publice hanc meliorem institutionem ad
christianam religionem sua auctoritate adiuuare; nec
desuerunt salubres ad populum fructus, qui haud
paulo plus aliquam libertatem et ipse amare incipie-
bat; perpetuarum caerimoniarum et dubiorum fa-
crorum pertaesus. Feliciter autem *Carolus V*,
tum imperator, liberali et ipse ingenio, suum ius
in religionis agenda caussa non ignorabat; quod, si
in pontificem, vt hic volebat et exemplo aliorum

Symbolici
libri.

120 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

poscere posse videbatur, vniuersum contulisset: imperatoris illa auctoritas, rei quantumuis iustae, maximo impedimento futura erat. Quod igitur olim fieri solebat, vt principes et magistratus religionis publicae curam ipsi gererent, vt eam sic populus et diceretur, eiusque exercitium sic confirmaretur, vti cum re publica maxime videbatur conuenire, quia nec Christus nec Apostoli societatis humanae cetera iura atque adiumenta solerent conuellere: id nunc etiam diligenter procurari coepit a prouinciarum quarumdam dominis. Qua in cauſa Saxoniae electoris et prudentia et fortitudo praecipue spectata fuit: qui, praeter *catechismos Lutheri*, quos suis in terris liberaliter passus est edi, re cum pluribus principibus statibusque germanici imperii communicata, celeberrimam illam *Augustanam Confessionem* Philippo Melanchthoni scriptore colligi iussit, quae continebat *publicam doctrinam ecclesiarum* illis in provinciis et ciuitatibus, quarum domini et magistratus per aliquid iam tempus pristinam illam libertatem contra romani episcopi nouum ecclesiastici iuris instar tueri audebant. Ea autem *confessio* praecipuos tantum doctrinae christiana locos complectitur, quorum corruptio plura per secula ita valuerat, vt violento et maligno imperio in hominum animos locus fuerit. Facile autem intelligitur, iustum prudentiam sic tulisse, vt ab exemplo Christi et Apostolorum nec Confessionis autores et statores recedere potuerint; itaque ea, quae facile ad omnes patere poterant, quibus maxima religionis corruptio spectabatur, fortiter et luculenter reprehenduntur. De paucis aliis, quae plerosque adhuc non concutere atque offendere non poterant, scriptum fuit leniter et moderate, vt vitaretur funesta barbaricae impietatis species; atque illa descriptio Artic. X. e. c. quod *Zwinglio*, atque aliis, qui ista in arena iam non versabantur,



bantur, minus placuit, quam Romanis theologis, non est quod aliquis miretur. Operae non est pretium, recensere copiosius confutationem, quam *romani* theologi reposuerunt; nec ignorari fere a quoquam potest, quod *Melanckthon* verboſiſſime in *Apolo-gia* responderit. Successerunt *Smalcaldici* articuli, a *Luther* eo consilio conscripti, vt in *concilio* nationis germanicæ, si quod tandem contingere, publice tractarentur; qui eam ob rem ſimiliter ſym-boli instar habebant, et publicam doctrinam sacram prodebat. Nec eſt illud praetermittendum, his articulis, auguſt. confeſſionis, et apolo-giae ſciunctorum a Romana vulgata religione eccleſiarum, continuato cauſſae ſtudio, lubenter ſubſcripſiſſe ſacros miniftriſ; eccleſiae *Luneburgensium*, *Hannoueranae*, *Mar-purgensis*, *cotensis*, *Haffiacarum*, *fufatensis*, *Stetinensis*, *Bremensis*, *Francofurtensis*, *Erfordiensis* &c. et expreſſo adeo nomine, *concordiae* in re euchariftiae, (Witteb. 1536.) *Dionyſium Melandrum*, ſubſcripſiſſe; etiam *Brentium* ſic ſcripſiſſe: legi item *formulam concordiae* in re ſacramentaria Wittenbergæ cum D. *Bucero* et aliis institutam. Nempe de eo non erat dubitandum, *Heluetios* contra Romanae eccleſiae corruptionem cum noſtriſ in fidam ſocietatem coire; licet de ſacra caena et locis pauciſ aliis inter eos valebat diuersa et a nobis ſeiuncta ſententia. Qua in re negari non potest, liberam ſentiendi facultatem et proprium ius conſcientiae illiſ eccleſiarum miniftriſ non minus competere debuiſſe, quam nobiſ; nec opus aut neceſſe eſſe, vt de hac cauſa vel ſimilibus quibusdam obtineat hominum eccleſiarumque omnium conſenſus, qui profecto iſpiſ hominum mentib⁹ atque ani-miſ diuinitus non illabitur, extera autem vi et potestate impediri potius quam adiuuari ſolet.

Huius caussae iusta cognitio ex ingenua illius temporis historia maxime paranda est. Dei clementissimo numine et iam singularis prouidentia his rebus luculenter immista est; sed nec licet et illud negligere, per homines humano more tantas res geitas fuisse. Non pauca igitur solebant ei tempori, et rerum ancipiti ingenio dari, quae prudentia si quibus videtur parum commendanda, ii, si id magis placet, diuinitus omnia sic contigisse statuant; sed et aliis permittant, aliter de ista omni caussa statuere. Illud autem praecipue est obseruandum, post ea tempora deum variam opportunitatem suggestisse, ut idem ingenuac libertatis exercitium esse posset continuum et perpetuum. Multa enim scimus iam rectius, partim eorum, quae ex ecclesiasticae historiae, partim ex interpretandi prouincia, ob temporis malignitatem, fuerant minus recte tum repetita. Atque vel ipse, quo tum usi fuerant, docendi atque arguendi modus, ad ista eius temporis vitia et incommoda referebatur; fuerit igitur tum maxime e re sacra, ut e. c. aduersus bona opera diceretur vehementius, quia boni homines aut recitandis formulis, aue Maria, Pater noster, aut donariis sacris, aut iuuandis in purgatorio animabus, moleste sedulam dare solebant operam. Sed inde ad nostra usque tempora, non sane opus est, ut contra bonorum operum iusto maius studium ex ipsis libris repetamus argumentum. Facile fuit, amoliri istam improbam sedulitatem; nemo e plebe iam ipsis dedicatus est opinionibus aut studiis; sed cum successerint praeter istam turpem socordiam alia vitia, alio iam docendi genere inter nos opus est, quam isto, quo a Romanis sacris facile adhuc sciungimur, leuati isto difficulti superstitionis onere; sed, quod ad publicam rem attinet, parum meliori et commendabiliori populo gloriari possumus. Ad historiam *dogmatum publico-*



blicorum pertinet per ista tempora, *colloquium Marpijense*, cum *Zwinglio* et *Oecolampadio*; *concordia Wittebergensis*; *confessio Waldensium*; varii libelli *Lutheri*, contra *Antinomos*; *Epitome ex decretalibus*, cum praef. *Lutheri*; *Brentii Catechismus*; *Erasmi liber de sarcenda ecclesiae concordia*, deque sedandis opinionum dissidiis; eiusdem explanatio *Symboli*, *decalogi*, et *dominicæ prectionis*; *Vrbani Regii libelli*; formulae quaedam caute et citra scandalum loquendi; et orthodoxorum patrum sententiae aliquot de missali sacrificio; *Melancthonis variae scriptiones*, quas inter, breuis discendae theologiae ratio, adiecta *Coruini Expositioni*, *decalogi &c.* libri 4 de *dialectica*; de anima; operum *Augustini Epitome*, de sacramentis et locis communioribus, per Ioh. *Piscatorem*; Ioh. *Kymeti*, Homburgo-Hassiaci, scriptiones quaedam, cum praef. *Lutheri*; *Sebastiani Franken*, Werdenfis, *arca aurea*, (cuius hominis probum consilium laude sua non caret, etsi iustum modum non seruavit,) *Schwenckfeldii varia*; *Wicelii*, *Cochlaei*, (cuius *Philippicæ* quatuor in *Apologiam Philippi Melanchthonis Lips. 1534. 4. editae*, non sine utilitate legi possunt;) *Bullingeri commentarii* in omnes epistolas Apostolorum; accesserunt ad finem duo libelli, de testamento dei unico et aeterno, et de *vtraque in Christo natura*. *Serueti*, *Campani*, Anabaptistarum quoruimdam libelli: quibus tamen adeo inuenustum ineſt ingenium, ut liberalis fructus nihil fere ex iis colligi queat. Liceat hic breuiter attingere *Henrici Cornelii Agrippae* declamationem non spernendam, de *incertitudine et vanitate scientiarum atque artium*. Atque operaे hodieque pretium fuerit, legere Cap. I. de scientiis in generali - cap. 56. de religione in genere; c. 57, de imaginibus - Gre-

gorius

gorius imagines probat, non cultum - auarum sacerdotale genus non modo ex lignis et lapidibus sed etiam ex mortuorum ossibus - suae rapinae instrumenta fecerunt - c. 58. de templis c. 59 de festis - c. 60, de caerimoniis. c. 61, de magistratibus ecclesiae - c. 62, de seculis monasticis; de romanis scortis, c. 64. de mendicitate monachorum, c. 65. cap. 92, de iure canonico, (acerrime in Papam et Episcopos inuehit) cap. 96, de arte inquisitorum. cap. 97 de theologia scholastica, a Parisiensium Sorbona ex centaurorum genere disciplina conflata est. Ceteri, quibus ad tam alta non est adscensus, diuorum construunt historias, non nihil admittentes; supponunt reliquias, fabricant miracula - - c. 98 de theologia interpretativa c. 100 - - scitote ergo nunc, nihil esse in sacris litteris tam arduum, tam profundum, tam difficile, tam absconditum, tam sanctum, quod ad omnes Christi fideles non pertineat - vnicuique autem secundum capacitatem et mensuram donationis Spiritus S. - - Ex his similibusque quibusdam scriptis istius seculi, nos decet ipsos perspicere auctorum liberas sententias, nec statim fidem habere vulgatis iudiciis et plebiscitis. Facile intelligemus ipsi, barbarica instituta monasteriensium et rusticorum hominum non parum differre a Mennonis Simonis studiis; et praeclara multa atque ingenuae sententiae non paucae colligi possunt ex Schwencfeldii, aliorumque scriptorum libris, quorum imprudentem agendi consuetudinem, et has istas aberrationes, recte vitamus; veri autem si quid obseruant, id non ob nominum aliquam infamiam abiiciendum aut contemnendum nobis est.

§. XXIV.

Historia
dogmatica.

Creuit interea dogmaticarum sententiarum multitudo; atque utilitate profecto non caret, colligi

ligi παραδοξωτερεα Lutheri, Brentii, Schneppi, Melanchthonis, Maioris, aliorumque theologorum; atque obseruari etiam illa, quae per *deutēgas* Φεγγιτας fuerunt priorum in locum substituta et quasi correcta. Nempe in eo genere disputationis, quod est eruditioribus proprium, qui et linguarum cognitionem, vno quasi haustu, iustam atque perfectam inbibere non possunt, et historica adiumenta, e patribus atque ecclesiasticis scriptoribus, cuncta in numerato habere nequeunt: ad commendationem facit, viros eruditos non esse adeo obstinatos et pertinaces, vt, quod semel senserint, semper, si maxime aliter rem habere perspiciant, defendere atque laudare audeant. Agitur enim, si res inter eruditos agitur, de rebus, quarum non est certa et firma ad omnes scientia, cum rationum, quibus forte ut liceat, non sit luculenta et stabilis indoles. Itaque videmus per omnia ad nos usque secula rem sic habuisse: vt repererint auctores christiani non solum varia decreta, sed etiam varios eorumdem decretorum λόγια; serius enim illa peruersitas tandem locum inuenit, vt negato liberae conscientiae iure publicis iussibus et mandatis sacrorum ipsi ministri cogentur de theologicis et ecclesiasticis rebus unam atque eamdem omnes consecrare sententiam. Iti autem vitio scimus *Lutherum* et ceteros bene meritorum socios non fuisse deditos, quod in Romanis maxime ipsi solebant reprehendere. Illud contra et nos hodie sequimur, quod ad plebem et homines inferioris ordinis plerosque et suasit et secutus est (editis catechismis,) Lutherus, vt seruetur hic una et perpetua verborum et sententiarum formula; liberum tamen sit vnicuique sacrarum rerum publico adiutori, ex suo ingenio et suorum hominum statu de promere noua adiumenta, ad faciliorum et meliorum doctrinarum catholicarum usum promouendum.

Atque

Atque videtur ex romanae ecclesiae aut longa consuetudine aut malignitate quorumdam nobis publice insidiantium, prouenisse, quod leues istas latinae A. Confess. variationes, quarum auctor *Melanchthon* fuit inde ab anno 1540, Pontificii in *ratisponensi* colloquio 1541 vehementer exagitarunt, nostrosque ita terruerunt, ut *Melanchthoni* eadem ista verba, quae in priori editione *latina* exstabant, repetenda fuerint; ne scilicet desinerent vafrae promissiones istae: modo nihil quicquam societatis intercederet cum *Helvetiis*, Imperatorem Saxonii eo magis facilem se exhibiturum. Fuit certe ex romanae ecclesiae studio, quod in sollemnem aliquem librum dogmaticum, (*Interim*) imperator Romanorum pariter et nostrorum consentientes voces aliquoties elicere voluit: quae studia, et si saepe et variis colloquiis impertita, felici tamen cuncta euenu- tu caruerunt; nec praecipuum aliquod detrimentum dogmatico loco, donec *Lutherus* superstes fuit, attulerunt. Sed post eius fata inepto feruore et studio e pluribus locis diuinae et salubrioris doctrinae vindices atque adiutores varii prodierunt, qui variis terriculamentis in rem suam ita abusi sunt, ut noua multa dissidia inter nostras ecclesias studioissime excitarint, inuenusta illius quasi flagitii specie, non deesse, qui consentire videantur cum *Helvetiis* eorumque ecclesiis. Ne igitur ista, quae falso et credebatur et, si contingaret, metuebatur, existeret inter libere sentientes concordia: discordiarum infelicium semina iam inter nos ipsos spargere coeperrunt isti integritatis christianaee et *Lutheranæ τελειοτητος* vindices. Recte et sapienter *Mauritius* prouidebat, ne continuatis bellorum periculis ultra concuterentur ecclesiae *Protestantium*; siluerant et ceteri theologi per illud tempus; iam et simili consilio obsecutus *Melanchthon* suasor exstiterat quibusdam

busdam *Francicis* et suae prouinciae sacris ministris, ne desercent ecclesias propter lineam vestem et ordinem festorum. Sed iam quasi signo dato erupit plurium *Quidam*, qui ex *Lutheri* auctoritate, praecipuam partem iam sibi deberi quisque statuebant, *Melanchthoni* non parum infensi. *Osiander* sibi non obscure *Lutkero* in continuanda doctrinae correctione succedere videbatur; *Flacius* et alii *Melanchthonis* honorem minus aequo ferebant animo; et si viro optimo Syllana imperia in ecclesia minime placebant. Iam igitur praeter *Lutheri catechismos*, et quorundam expositiones in *Symbolum Apostolicum*, (eruditis non destinatae erant istae scriptiones,) nemo fere alius e nostris ausus fuerat doctrinae aliquam summam colligere eorum in usus, qui in academiis et scholis ad sacrum ministerium, praeparandi erant, excepto *Melanchthoni*; cuius loci theologici plerorumque in manibus fuerant, hortatore et auctore ipso *Lutheri*. Notauimus iam et istud, inde ab anno 1543 longe locupletiorum locorum editionem ab auctore procuratam fuisse; corpusculum haud paulo fanius, neruis et torris suis constans, perspicuum et omnino frugiferum; sic ipse *Lutherus* iudicabat; atque *Melanchthonis* liberali ingenio dignum, qui et ipse praefatus est, se non defugere ecclesiarum nostrarum iudicia; optare potius, ut alii, qui antecellant eruditione et iudicio, communicato consilio et collatis sententiis de rebus ipsis et de formis (publice) loquendi, graui auctoritate tale aliquod opus conderent; atque hanc rem curae esse debere plus et sapientibus principibus. Nempe rectissime ista suasit; atque haud dubie eo omne et consilio, ut secuta per tempora similiter continua ista succederet opera et cura; nec enim ea forma intelligendi et docendi, quae seculo XVI satis conveniebat, etiam seculo XVII. praecipue apta fuisset, multo

multo minus huic nostro; quia sua sunt temporibus et vitia propria atque impedimenta, et commodior quaedam exsistit opportunitas. Satis multa autem emendauit, mutatis, (tot enim per annos et *Lutherus* profecerat et felicissimus temporis arbiter *Philippus*,) multis sententiis, e. g. de fato, de repetito ad discipulos Iohannis baptismo, qui non sufficiens et diuersus ab illo Christi, &c. Ista igitur per tempora satis videbantur omnes Lutheranorum scholae et cathedrae consentire. Sed iam superuenerat et *Osiandri*, et, qui eum refutare voluit, *Stancari* noua disciplina, de officio Christi mediatoris ad humanam naturam tantum reuocato, atque de eo loquendi genere, qua ex communicatione idiomaticum redundet. Porro *Osiandri* de *iustificatione* tractatio poterat non plane inutilis esse; quam inde ab aliquot annis se iam amplexum fuisse ipse fatetur, cui consensum *Wittebergensium* maxime opposuit *Melanchthon*, alii autem longo numero scriptores vario merito eum refutatum iuerunt. Inuenusta criminatio *Synergismi* succreuit, *Flacio* praeципue auctore, qui, iam ista de *ad dia^opo^oeis* molesta controuersia cum quibusdam aliis, internum religionis sensum ceteris maiorem et meliorem prae se ferebat; ac multos facile fallebat difficilis ista accusatio, de concurrentibus tribus caussis conuersionis, parum liberales indices; cum satis pateat, quo nomine, *nostra voluntas* praeter Spiritum S. (effic. caussa) praeter *verbum*, (*instrument.*) concurrere dicatur, (material.) praeſertim cum felicissime originale peccatum fuerit a Melanchthonē aduersus falsas opiniones vindicatum. Igitur non deerant, qui *Cochlaeum Staphylumque* fere imitati in *Melanchthonem* subobscuro inuidiae motu agere solebant. Inuit tamen *Melanchthon* et per ista tempora liberalē theologicae cognitionis modum, edito eorum *examine,*

mine, qui audiuntur ante ritum publicae ordinatio-
nis. Sub idem fere tempus *definitiones* visitatores
collegerat; antea vero in *epistola* ad doctores ec-
clesiarum Saxoniac, expositioni *Symboli* praefixa,
de liberali docendi modo sententiam probe dixerat.
Atque ita tandem anno 1560, meritis quam laudi-
bus dicitur ex hac vita et ex ista quasi pistrina ex-
cessit *Melancthon*: cui liberalis inter nos theolo-
gica eruditio, doctrinae certa et ingenua indoles,
longe plus, quam aliis multis, debet. Doctrinam
theologicam ornavit etiam *Flacius*, homo, praeter
Melancthonem, vix alii vlli postponendus per ea
tempora; ingenio tamen minus miti, pietate non
nihil fera, et subsfanatica nonnumquam specie usus,
ut sententiarum molesto momento rem grauem et
veram dicere saepe videri posset. Bene atque opti-
me *Flacius* cum sociis meritus fuit istis *centuriis*,
de *dogmatum* historia, aduersus *Romanos* erro-
res; *Ioh.* autem *Wigandus* et *Matthaeus Iudex*
Suvarypa, seu *corpus doctrinae Christi*, ediderunt,
ex Veteri T; aliud N. T. tantum, methodica ratione,
singulari fide et diligentia congestum; Basileae 1563.
8. *Prima pars* (ex 4 Euangeliis) de scriptura veteris
testamenti. Subiectum in iis quaerendum est Christus.
- Tota illa politia corruere debebat - eam
ob caussam Iohannes extra templum Hierosolymita-
num functionem suam administrabat — de scriptura
N. T. et de conuenientia ac differentia utriusque.
Tota es religionis forma; quam sua praefentia et
ministerio constituit Christus vocatur N. T. - ha-
bebat V. T. de regno corporali annexas promissio-
nes. - De verbo dei. *Duae* sunt significatio-
nes; una, qua solus Iohannes in Exordio Euangelii
vtitur, pro persona secunda trinitatis; *altera est*,
pro doctrina reuelata. - - De Deo — *deus* du-
plici modo usurpatur; primum et plerumque est

II. Lib.

I

pater

nomen essentiae, omnibus tribus personis conueniens; deinde vero, nonnumquam attribuitur diuinae personae, eiusque quasi *genus* est. E. g. hunc pater signauit deus, Ioh. 6. Pater hic personae nomen est; *deus*, generis, hoc est substantia diuina. Ioh. 1, *apud deum*; patrem, qui est in ordine *prima substantia* trinitatis. Definitio dei (*Melancthonis* fere sunt omnia verba). De Trinitate, Matth. 28. Ioh. 14 et 15. De patre. — Proprietates, quas huic personae tribuit Christus sunt triples; singulares; communes cum alterutra persona, communes cum vtrisque reliquis — de Iesu Christo filio dei et hominis. — Iesum Christum esse dei filium et deum verum — esse verum hominem — esse unam personam non plures. — Solet et *phrasis* Christi et scripturae sanctae annotari, quam nominant *communicationem idiomatum*; vbi videl. quod est alteri naturae proprium in abstracto, tribuitur Christo in concreto. — Videntur tamen, ne inepte haec regula accommodetur; in iis potissimum testimonis, quae proponunt rem vtrique naturae conuenientem, vt, filius hominis veniet in maiestate sua. — De Messia — iam testimonia congerenda sunt, quod Iesus ille ipse Messias sit, de quo factae sunt promissiones — caussa finalis Messiae, cur venerit — de appellationibus Christi, quae in Euangelica historia occurunt. — De Spiritu Sancto. De creatione. — De angelis in genere; de bonis; diabolis. De homine ante et post lapsum. De hac parte *admodum pauca litteris* ab Euangelicis scriptoribus mandata sunt — habebant enim hoc propositi Euangelistae, vt historiam redemptionis humanae potissimum memoriae mandarent; non igitur curiosius dogmatica omnia persecuti sunt — de Homine ante conuersionem — in conuersione — caussae impulsuae sunt dei dilectio et

et meritum Christi - media, ministerium verbi et
vslis sacramentorum - vires homini*s* in regeneratione
a priori non sunt cooperatrix causa*s*. - De ho-
mone renato - de peccato in genere - de peccato
originali - de actualibus peccatis - de legibus diu-
nis in genere - et si euangelica historia non habeat ista
vocabula, lex forensis, ceremonialis, moralis, (nam
in has species lex mosaica aut diuina distinguitur)
tamen res ipsas continet. - De abrogatione legis
mosaicae - de lege morali seu decalogo - de Eu-
angelio - de discriminine legis et Euangeli*i*. - De ius-
tificatione hominis peccatoris coram deo - cau*s*
in nobis - deum mouens, vt tali ratione nos iusti-
ficet, peccatorum moles - condemnatio - in deo
cau*s* impulsua, gratuita dilectio - cau*s* materia-
lis, quae res sit iusticia hominibus applicabilis, est
ipsum opus, passio et meritum Christi, legis im-
pletio, quam Christus praestitit pro toto humano
genere - formalis cau*s*, ipsa applicatio gratuita
iustitiae per sanguinem Christi partae - instrumen-
tal*s*, est fides. - De fide - de fide aliena docet
Christus et exempla idem explicant, quod nimirum
ab aliis dona corporalia et spiritualia ea ratione, vt
alii conuertantur, ac propriam et peculiarem fidem
accipiunt, qua salui siant - de bonis operibus seu
noua obedientia iustificatorum - catalogus bonorum
operum et peccatorum, e decalogo.

De inuocatione dei; de confessione (Christi)
de dilectione proximi; iejunio; eleemosyna; de
poenitentia seu conuersione hominis ad deum; de
contritione; de fide; de noua obedientia; de
baptismo, vt efficaciores essent promissiones, *caeri-
moniis* etiam quibusdam externis eas quasi vestiuit
(semper nominat caerimoniam) - non est dubium,
quin etiam haec caerimonia et tessera promissionis
ad infantes pertineat; (baptismum, semel iuxta
I 2 insti-

institutionem Christi acceptum, iterari, apostoli numquam praecepunt; nam, quod quidam *deinuo baptizantur*, *Acto*. 19 ideo factum est, quod non in nomine spiritus sancti, et sic depravata baptismi forma, erant baptizati, (hoc ex parte 2. pag. 1141.) de clauibus ecclesiae; de excommunicatione; de absolutione. De confessione; una fit coram deo; alia est *publica*; coram ministerio, sicut in baptismo Iohannis; tertia, priuata, erga offensos. De coena domini; est caerimonia seu actio a Christo immediate instituta; qua distribuuntur panis et corpus, vini et sanguis Christi; promissione gratiae annexa. Materiae coenae dominicae istae duae clare sunt expressae: panis elementalis et corpus Christi &c. Sumptionis ratio est, *ore vesci pane et corpore Christi - ac simul corde seu fide apprehendere corpus et sanguinem C.* Christus (contra Capernaitas, qui ratione humana has actiones aestimant;) dicit, verba mea sunt spiritus et vita, habent spiritualem efficaciam; non est dubium, quin ea, quae loquitur, etiam sunt spiritui, hoc est arcano modo et ratione incomprehensibile sacrificio - de ecclesia Christi - de falsa ecclesia - de regno Christi; de ministerio euangelico docendi - de libertate christiana; de cruce et afflictionibus ecclesiae; de miraculis; de Antichristo, de traditionibus humanis et rebus adiaphoris; de scandalis; de coniugio, (matrimonium velut seminarium est omnium statuum et proxime ad ecclesiam accedit;) de diuortiis; de castitate; de magistratibus; de morte; de apparitionibus defunctorum hominum; de fine seculi et signis praecedentibus; de resurrectione; de extremo iudicio et secundo Christi adventu; de inferno, seu loco ac poenis damnatorum, de vita aeterna. *Altera pars doctrinae Christi, ex actis epistolis et scriptis apostolorum.*

Eodem

Eodem ordine de iisdem locis theologicis colliguntur testimonia. - Praeter testimonium Eusebii lib. 2. histor. eccl. c. 23. alia quoque sunt haud obscura indicia, vnde colligi potest, auctores harum epistolarum non esse *Iacobum* et *Iudam*; nam Iacobi, ab Analogia doctrinae apostolicae non mediocriter aberrat - Iudeae epistolam hacc arguant non esse genuinam pag. 403. - Praeter hoc vnum, quod testimonio antiquitatis carere dicitur epistola *Petri* secunda, aliud ei nihil deesse videtur, quo minus pro genuina Petri habeatur. - Ex his quis non colligat epistolam ad *Hebraeos* Pauli non esse. - Apostoli in Actis et epistolis suis historiam tantum summatim perstringunt; sed de fructibus operum Christi de applicatione ad nostram salutem, de nouitate vitae, de resurrectione et vita aeterna, enucleate et prolixo docent. - De symbolo apostolico. *Summa doctrinae apostolorum* et quidem totius scripturae V. et N. T. mira concinnitate et breuitate in symbolo *comprehensa* est. - Nec Iudeos eam dei veram notitiam habuisse, Paulus testatur *Actor.* 13. - Haec sufficient, ut intelligamus, satis liberali exemplo, hoc *συνταγμα* collectum fuisse, tantum ex Scriptura sacra, admisisti terminis quibusdam scholasticis, ex more scholae Wittebergensis. Non defunt quidam naevi ex minus iusta interpretatione, quae facultas continuo ad nos vsque exercitio non emendari atque augeri non potest; vnde et dogmatum descriptiones recte et liberaliter variari possunt. Nec displicet illa duplex recensio; altera ex Euangeliis; altera ex ceteris scriptis Apostolorum; malimi potius ex singulis sacris libris collecta esse *συνταγμα* singula, vt eo luculentius appareat, partim hoc, ad fundamentales doctrinas a quibusdam ecclesiis quaedam referri, quorum olim apud quasdam ecclesias aut nulla aut varia existit

errore; partim illud, longe potioris momenti esse eas praeceptiones, quibus christiana vita emendatur et informatur, quam difficiles de iis θεωρias, quae ad informandam Christi omnem historiam referri possunt; ne molesta decretorum de trinitate et θεολογιας sedulitate, auertamus homines a fusi-
pienda et continuanda ea vita, quae Christi exem-
plum diligenter et vero animo imitatur; cui rei si
quis est omnino deditus, fuerit profecto etiam φιλο-
μαθητης et tam verecundus, ut numquam sustineat
praefracto et obstinato animo ullam scripturae sacrae
sententiam, aut interpretandae illius ullum adumen-
tum, contemnere.

Non sine utilitate repetuntur Acta in collo-
quiiis per ea tempora, et eximus liber: Ex actis
Synodicis et aliis diligenter et fideliter collecta Ex-
positio eorum, quae theologi academie Witteber-
gensis et harum regionum alii - in deliberationibus
provincialibus - de rebus ad religionem pertinenti-
bus monuerint, suaserint, docuerint, responderint,
concesserint illo tempore, quo et de his ipsis et de
libro Augustano, qui nominatur Interim, qualis
esset, et quaestum fuit et tractatum. Edita de
sententia Professorum academie Wittebergensis
1559. 4. Exstat etiam in germanica lingua. Prae-
ter alia hic scribitur (G.) Osiander hanc rem (item
de iusticia essentiali, excluso nimirum a iustificatio-
ne merito et sanguine Christi,) numquam fuisse
ausus, nisi ex fracta apud imperitum vulgus clamor-
ibus Flacii, et labefactata auctoritate academie
nostrae pene certos sibi successus promisisset. - De
repetitione Augustanae confessionis, qua etiam Osiander
et aliis aliorum sententiis Melanchthon se oppo-
suit, - descripsit idem formam quasi politiae ecclesi-
asticae pro Ecclesiis Megalburgicis, qui liber me-
ruit

ruit eam approbationem in nostris ecclesiis, ut *velut canon* normam *doctrinae populo proponendae* multis in locis regat. — Mandato principum (*Neoburgi* in recons motis controversis cum *Hafsiacis* theologis et aliis quibusdam consensum constituerunt (*Wittenbergenses*) - *Flacius* repetitam *Epitomen* omnium criminationum, quas toto decenio effudit, superiore anno promulgauit, roboratam quinque *συνασπισμων* suffragatione, *Nicolai Galli*, ratisp. *Ioh. Wigandi*, Magdeb. *Ioh. Aurifabri*, in aula vinar. *Anton. Ottonis*, northusani, et *Matthaei Iudicis*, diac. Magdeb. - Ut verbo dicam, liber est insignis utilitatis, et qui iustum prudentiam sacri ministri luculento exemplo commendat. Atque similem, quasi poenae loco, expertus est *Flacius* aliorum malignam vehementiam, qui eius sententiam, quae fuit fere olim *Lutheri* et aliorum, de peccato originali, variis modis falso descripserunt, et *Flacium* in odium contemtumque publicum conicerunt; nec enim negari potest, si quis legat libellum: *solida refutatio vanissimorum Sophismatum*, calumniarum - *Antidoti (Heshusii)* et aliorum neopelagianorum scriptorum, authore. M. *Flacio Illyrico* anno 1573, aut legat *Cyriaci Spangenbergii* Historiam eius controversiae in commitatu *Mansfeld*, aut eius *Apologiam &c.* Negari igitur nequit, *Heshusum*, *Vigandum*, *Morlimum* aliosque non raro in sententia ipsos variare, et *Flacii* veram sententiam non luculenter describere. Sed nec *Flacius* et alii per inuidiam in alios adeo adhaerere debebant *Lutheri* phrasibus et sententiis, (quas, pro suo ingenio praeferebat et contra Pontificios praeципue adhibebat) ut non ferrent inter nos de eadem re doceri moderatius, et sine offensione; atque parum recte pietatis praecipuum hanc speciem fecit et arripuit *Flacius*, ut ob

136 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

Interim Wittenbergenses calumniari potuerit; et de Pelagianis tantos tumultus excitauerit; licet centuriis istis, aliisque editis libris, etiam refutatione Inuestigae Brunii, de vindicanda aduersus Romanos abusus meliori religione fuerit bene meritus. *Osiandri* eruditio non est obscura; de locis quibusdam scripturae diligentius interpretandis non male monuit; nec est negandum, in phrasibus, quae *diximus*, *diximusque*, *diximusq[ue]d* complectuntur, non esse semper eandem evocata. Atque recte *Lutherus* cum aliis aduersus Romanos errores suam disciplinam secutus est, *de iustificatione*; nec tamen ideo inutilis est admonitio illa, ut studeamus et ipsi iustitiae, quae est qualitas. Verum tamen et illud est, *Osiandrum* a superbia et quadam ferocia non fuisse alienum et Wittenbergensibus iusto minus aequum; quorum illud institutum vehementer reprehendit, quod poscebat promissionem, (ab iis, qui testimonium petebant,) non deferendae doctrinae Euangelicae, ut ea in Symbolis et Augustana confessione continetur; institui hac ratione tyrannidem &c. Operae pretium est de omni hac re legere *Adhortationem*, ad eos qui docent in ecclesia Norimbergensi, habitam a *Melanchthonem*, cum arcessitus esset ab inlyto Senatu urbis, ad diiudicationem controversiae de iustificatione; et *Orationem*, in qua refutatur calumnia *Osiandri*, reprehendentis promissionem eorum, quibus tribuitur testimonium doctrinae. Non iam locus est verbosae descriptioni turbarum per multas prouincias excitatarum, istis *Osiandri* nouis sententiis, de imagine dei, Christo homine, quem in carnem venturum cum aliis scholasticis statuebat, etiam si homo in peccatum lapsus non esset; praecipue de iustificatione. Illud facile constat, multos scriptores parum diligenter et minus liberaliter in eam caussam se ingessisse.

Videtur



Videtur autem id non male hic addi ad historiam dogmaticam, *Andream Musculum*, qui interfuerat *Synodo a Ioachimo Brandenburgensi contra Osiandri doctrinam coactae*, nouo quodam instituto concessisse *Enchiridion sententiarum ac dictorum insignium et selectissimorum SS. doctorumque ecclesiae sanctae in locos communes ad consensum purae doctrinae Euangelii, Francforti ad Viadrum 1552. 8.* De deo; trinitate, incarnatione Christi et adoranda vniione vtriusque naturae; Christi passio et in hac durarum naturarum mirabilis communicatio idiomatum; Resurreccio et ascensio; Spiritus sanctus (ex Augustino, Spiritus S. et lex eodem die quinquagesimo post pascha, dabatur.) creatio; angelus; anima; homo et hominis vita; praedestinatio, praescientia, prouidentia; liberum arbitrium; peccatum originale; actuale; reliquiae peccatis in sanctis post baptismum; pecc. in Spiritum S. lex, iustitia legis, euangelium; iustificatio ex fide, sine operibus legis; opera bona sequuntur iustificatum; baptisma; potestas clauium; coena domini; quoties communicandum; ecclesia. *Victorini Strigelii* lectiones in *Philippi* locos ceteris huius generis scriptis longe praestant, quas partim *Ienae* partim *Lipsiae* habuit; quas praeter *Chemnitianas* nullae utilitatis isto genere aut aequant aut vincunt. E *Romanis* scriptoribus fas non est praeterire istud opus: Controversiarum praecipuarum in comitiis *Ratisponensibus* tractatarum, et quibus nunc potissimum exagitatur Christi fides et religio, diligens et luculenta explicatio per *Albertum Pighium*, campensem, D. *Ioannis Vlraj.* Praepositum, ab ipso auctore summa diligentia sub mortem recognita. Accessit nunc primum, eodem auctore, succincta componendorum dissidiorum et saceriendae in religione concordiae ratio. *Coloniae 1545* sol. Con-

trouersiae de peccato originis; de iustificatione, fide,
 operibus; de ecclesia et traditionis auctoritate; de
 eucharistia, an maneat panis vinique substantiae;
 de missae sacrificio; de missis priuatis; de commu-
 nione sub vtraque, aut altera; de adoratione Chri-
 sti in eucharistia; de poenitentia, contritione, con-
 fess. Satisfact. de veritate septenarii sacramentorum;
 de ordine ecclesiastico; de humanis atque ecclesia-
 sticis traditt.; de cultu atque invocatione sanctorum;
 de votis monasticis; de caelibatu aut coniugio mona-
 chorum, sacerdotum et altaris ministrorum; de pot-
 estate ecclesiastica. Quaestio, de diuortiatorum
 coniugijs et vxorum pluralitate sub lege euangelica.
 Adjuncta est dissidiorum componendorum ratio.
 Pauca annotabimus. Aduersarii arrogant sibi aucto-
 ritatem, definiendi id, de quo haec tenus inter or-
 thodoxos *libere disceptatum est*, (quid sit pecc.
 origin.) Ad habendam et continuandam iustitiam
 origin. nulla lege obligamur aut obligari possumus;
 Augustinus concupiscentiam, quam ante regenera-
 tionem (baptismum) peccatum esse affirmat, post
 regener. non solum ab omni reatu sed et a culpa ab-
 soluit; solum nobis ad exercitium virtutis relinqui
 docet. Inter omnes huius doctrinae (de pecc. orig.)
 professores, *Calvinus* minus callide magisque aper-
 te et candide, etiam diligentius omnium eam astrue-
 re conatur. Dat hic omnem operam *Pighius*, vt
 efficiat, nos longe plura referre ad *evocac.* peccati
 origin. quam SS. praecat. *Ephes.* 2, *φυσις*, nascendi
 sorte, vt dicimus *natura* seruos; peccatum est
ανομία; vere et proprie peccatum est, quicquid sit
 illud, quod peccatum originale dicimus; peccatum;
 velut specificatio additur, actuale, cui opponitur,
 non actuale; originale, cui e regione opponitur,
 personale, cuique proprium; illud peccatum orig.
 est vnicum, cuius reatu nos tenemur; peccatum
 originis

originis humani generis, Adae, quo et se et nos damnationi obnoxios reddidit - eius reatu constricti peccatores nascimur. - *Pelagii* obiectionibus coactus fuit Augustinus quaerere in singulis suum et proprium peccatum; qua in descriptione eum non magis sequi oportet, quam cum infantes non baptizatos damnari statuit. *Pelagius* obiecit: ergo et parentum, qui diu post Adam vixerunt, de quibus maxime nascimur, peccata infantibus imputanda esse; consentit Augustinus in ista absurdâ. - De iustificatione - nos apud simplicem et ignorantem populum tradicunt; fides est, habitus animi, quo certo assentimur iis, quae a deo salutis nostrae causa (de inuisibilibus bonis et mediis ad ea perueniendi,) reuelata sunt; intellectum sium deo prorsus subiicit, ei honorem veritatis infallibilis tribuit; huic mentis rationisque *affensui* adiuncta esse debet etiam animi firma fiducia - iustificamur non in nobis aut nostra iustitia, sed Christi iustitia et obedientia, quae nobis cum illo iam communicantibus imputatur - fidem infantibus tribuit *Lutherus* - quod *Augustinus* alicubi facit, qui non crediderit, etiam ad paruulos extendens, scil. eos baptizatos credere; sed credere non est baptizari, et occupat auditum verbi diuini, quod non cadit in infantes. - Opera, quae sequuntur iustificationem sunt meritoria, non ex se, aut ex nobis, sed ex diuina gratia, ex qua procedunt, ex Christi meritis. - De ecclesia . ad unitatem opus est ordine quodam constituto - praeter scripturam opus est traditione; quam tamen apostoli nusquam uniuersam repetunt aut exprimunt suis epistolis, licet id agant, ne declinarent ab ea christiani vel latum digitum. - De Eucharistiae sacramento. - Ex *Lutheri* schola, ut quae libertatem proponit omnibus, et docet sentiendi de dogmatibus doctrinae christianaæ quod cuique

ex

140 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

ex scripturis visum fuerit, quas quisque suo ingenio intelligit. - Hunc certe scriptorem e pluribus Romanis (addito tamen *Fricio Modreuius*) isto tempore legisse solum operae est pretium. Ediderat idem *Pighius* praeter VI. libros de *Hierarchia ecclesiastica*, libros X. de *libero hominis arbitrio* anno 1542. fol. *Sadoleta* inscriptos. Lib. 1. dei et nostri cognitio mutua quadam inter se correlatione respondent; -- quorundam sententia, qua et nullum hominibus liberum esse arbitrium et vniuersa ineuitabili nobis absolutaque necessitate ex dei voluntate prouenire statuunt; -- non male vidit *Lutherus*, nemini sua dogmata posse persuaderi, nisi cui antea persuaserint, nihil videre nihil intelligere posse hominem eorum, quae ad fidem et religionem pertinent; ut cui ratio semper sit ad fidem obstaculo - hoc dogma, de necessitate, principio etiam *Philippus* et ceteri dogmatistae assertuerant; fuit ea et *Wiclef*, *Petri Abailardi* et *Laur. Vallensis* sententia. - In *confessione Augustana* hac in parte correxisse suam fidem videntur, nisi callido consilio, in commodum negotii, vt vocant, Euangelici simulent -- publice editis libris profiteri non dubitant, fas esse etiam fucis et technis promouere euangeliū - cap. 3. *Caluini* doctrinam recitat, qui auctor ceteris facilius possit intelligi, qui ordinem aliquem sit secutus. Lib. 2. - *Lutherus* ad scripturam sic prouocat, quasi ante eum scripturas legisset nemo, aut primus ipse eas recte intelligeret - liberum nos dicimus arbitrium, facultatem animae, qua aliquid aut volumus aut odimus; liberum, quod sui iuris est, vt non necessario faciat, sed possit non facere. Seruum, quod sui potestatem non habet. - Ex *Origene* c. 3. vñus fere *Augustinus* obseruentem tum disputacionem *Pelagii*, si quisquam omnium, hac in re varie et perplexe loqui visus est; - (multa ex *Clementis*

Reco-

Recognit. ex *Irenaeo*, e *Cypriano*, *Hilario*, *Basilio*, *Hieronymo*, *Ambroso*; *Chrysostomum* vnum singulariter inter veteres calumniatur *Calvinus*, excessisse modum in extollenda voluntatis facultate; ex *Homilia* 18 in *Genesin* locus; liberius patres ante *Pelagium* locuti, qui primus gratiae bellum indixit; (nempe, quia eodem tempore alii de gratia et Christo loquebantur aliter, quam ante;) lib. 3, *Augustini* certam et claram sententiam, Luthero contrariam demonstrare aggrediamur. Ex eius libro 3. de libero arbitrio et aliis *Augustini* scriptis; sententiae satis clarae contra difficiliorem *Lutheri* tractationem; *Augustinum* non hoc damnare in *Pelagio*, quod liberum arbitrium afferit, sed quod plus, quam veritas admittit, ei attribuit, statuens: hominem adiutorio gratiae dei non opus habere. Atque recedit hac in re *Pighius*, vt *Ioh. Roffensis* et alii eruditiores, a quorumdam scholasticorum sententia. Lib. 4. *Calvinus* argumentum hoc (nisi ex libera arbitrii electione virtutes et vitia procedant, poenam et praemium locum non habere) *aristotelicum* dixerat, respondet, esse totius humani generis; plerumque *Calvinum*, quod ad Augustinum attinet, satis vrget. Sed haec sufficerint, vt intelligatur, non pauca superesse ad liberalem huius caussae sententiam. Descripsimus autem iam alibi *Epitomen* institutionum *Calvini* et quorumdam aliorum. Addimus *Petri Verm. Martyris* locos theologic. 2 volum. fol. ex patribus similiter praecipue illustratos esse, et suggerere eximiam copiam eorum, quae solent a plerisque ignorari, qui satis temere audent de dogmaticae theologiae caussa ferre sententiam. De *sacra coena* per illud tempus *Beza* et alii istius partis haud paulo quam *Turicensis* olim meliorem disciplinam instituerunt.

§. XXV.

§. XXV.

Occasio
formulae
concordiae.

Multas in partes cum scindi videretur *Lutheranarum* ecclesiarum doctrina, per plurimos libellos et commentarios variorum inter nos auctorum, qui non solum non omnes retinebant loquendi illum modum, qui fuit *Lutero, Brentio*, cet. visitatus, sed etiam statuebant, licere, imo opus esse, ut isti temporis, quod intercessit, post *Lutheri* fata, aptetur docendi alius modus, quo quaedam sententiae luculentius declarari et facilius in vita christiana applicari queant: multorum etiam extiterunt contraria studia, qui plerorumque omnium et academicorum et ecclesiasticorum doctorum consensum cum universa doctrina *Lutheri* et eius scriptis, quasi veritatis perpetuum adiumentum, vehementissime postulabant. Nec est obscurum ea in causa, primata et propria studia non minus quam iuuandae publicae rei vota, parum liberaliter coiisse; provinciarum et urbium iam aemulatio accesserat. *Tenenses, Misnenses, Wurtembergenses, Mansfeldenses*, inferioris Saxoniae Theologi, proprias partes, alii contra alios, amplectebantur; plerique omnes doctrinæ integratatem et salubrem eius modum tam velimentibus studiis vnicے quaeri et spectari promittebant; sed locum profecto hic habebat, multi zelum habebant, sed non omnium erat *yvotis*. Multos autem, etiam inter principes, *Romanorum* illa publica in nostros vituperia non parum mouebant: qui ab *Augustana Confessione*, tot in varias sectas nostras abiisse arrogantius obiiciebant. Hos inter *Frider. Staphylus*, eminuit, qui e nostris olim ipse fuisse videbatur; edita *Lutheranae theologiae trimembri epitome*, in qua *catalogus* satis ineptus sectarum in quas Protestantes scisisti fuerunt; et *defensione* aduersus *Phil. Melanchthon, Schwenc-*
feldia-

feldianum *Longinum*; Andream *Musculum*; Matth.
Flac. *Illyricum*; *Iacobum Andream Sniidel-*
num. Scripserat Andreas Bericht von der Einig-
keit und Uneinigkeit der christlichen Augspurgischen
Confessionsverwandten Theologen sc. Wider den
langen *Laszedel*, der ohne Namen auf jüngst zu
Augsburg anno domini 1559 gehaltenem Reichstage
öffentliche ausgebrettet; *Tübingen* 1560. 4; qua
in scriptione satis aequum et liberalem se indicem
controversiarum exhibituit *Iacobus*. Interea princi-
pes per varias prouincias dabant ipsi operam compo-
nendis litibus; e. g. dux *Borussiae*; duces *Saxo-*
niae; comites *Mansfeldenses* et alii: habebant
certe Theologi quasi propriam aream, qua contra
alios e suis experientur. Eminet praecipue: Il-
lustrissimi principis ac domini *Joh. Friderici*, 2,
suo ac fratrum D. *Joh. Wilh.* et D. *Joh. Friderici*
natu iunioris, nomine, *solida et ex* verbo dei
sumta *confutatio* et *condemnatio* praecipuarum
corruptelarum, sectarum et errorum hoc tempore
ad instaurationem et propagationem romani Anti-
christi, Rom. Pontificis, aliarumque fanaticarum
opinionum ingruentium et grassantium, contra ve-
ram SS. confessionis Augustanae et *Schmalcaldico-*
rum Articulorum religionem, ad suae celsitud. et
fratrum suorum subditos cuiuscunque ordinis scripta
et edita, vt auxiliante deo illas Satanae technas
cavere, et in puritate verbi dei praedictaque christia-
na agnita recepta et confessa religione (in cuius
confessione et ipsorum celsitudines dei beneficio con-
stanter ad extremum vsque vitae spiritum perseve-
rare decreuerunt) illi quoque permanere possint,
quemadmodum et debent. *Ienae* 1559. 4. Inest,
confutatio erroris *Serueti* fol. 1. *Schwencfeldii*
fol. 3. *Antinomorum* fol. 11. *Anabaptistarum*
fol. 14. b. *Zwinglii* 18. Erroris de *Libero arbitrio*

144 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

trio 32. b. *Osiandri* et *Siancari* 37. b. *D. Maioris* 42. *Adiaphoristarum*. 48. Trinitatem e Genes. i. Ioh. i. 1 Tim. 3, 16, *deus apparuit in carne - confirmant; vngenitus; osculum filium, praesentia Christi; Paulus ad Corinthi. dicit, illum deum, qui Israelitas eduxit, fuisse Christum, et non esse tentandum; accedit testimonium primitiæ ecclesiae.* *Stenckfeldius* totum corpus christianaæ doctrinae iniudicavit; qui *Luther*o se acerrime opposuit - per meras spirituales revelationes deum quaerendum esse propriis speculationibus; negat doctrinam biblico volumine comprehensam proprie esse verbum dei; conuersionem nostram negat mediate fieri, sed immediate a deo, ante usurpatum ministerium - *Antinomi* negant contritionem effici a Spiritu S. per legem - haec est præcipua fraus Satanae (ista formula saepissime redit) *Anabaptistæ* negant peccatum originis; alii blasphemias *Serueti* circumferunt. *Origenes*, qui floruit circa 200 scribit in 6. cap. ad Romanos, ecclesia ab Apostolis accipit traditionem; etiam parvulis dare baptismum. In actis ap. legimus, integras domos eos baptizasse, ergo et infantes. — *Zwinglii* et *Caluini* corruptelæ de coena domini. — Sacraenta signacula gratiae cuncte applicantia; testimonia promissionum Christi - distingueda materia a fructu s. coenæ. Recitatūr ex 1 Ioh. 5, pars illa; sine v. 7. vt 6. et 8. cohaereant. — Igitur apparet, prædictas nostræ doctrinae formulæ omnesque nostræ ecclesiæ istum errorem semper condemnasse et refutasse; quare nos quoque - cumdem errorem toto pectore detestainur ac execramur. — De libero arbitrio - mentem ac voluntatem nostram συνεγγον, causam cum verbo et spiritu dei cooperantem statuunt. — Mandamus omnibus praelatis; in primis academiæ Ienensis Professōribus;



ribus, quae Schola ad tuendum caeleste depositum, oppugnandoque errores ac seitas praecipue instituta fundataque est — ut doctrinam — his confutatibus congruentem in templis et scholis doceant — mandato Ioh. *Friederici*, medii, d. 24 Januar. 1559, post sermones sacros omni die dominico articulus aliquis publice germanice praelegebatur. Similis ingenii est: declaratio theologorum 16. infer. *Saxon.* *Lueneburgi* 1561. Julio mense exhibita: 1) de corpore doctrinae; 2) de condemnatione; 3) de iurisdictione papae, et concilio; et plures scriptiones eius temporis. Intercesserat interea propior coniunctio eccles. *Würtemberg.* et *Saxonicarum*, per formulam concordiae inter Suelicas et Saxonicas ecclesias; et formula concordiae brunsuicensium ecclesiarum, et infer. *Saxoniae*, quam *Iulius*, dux, *Iacobo Andreae* transmisit. E ceteris multis scriptionibus, quae formulam istam concordiae praeceperunt, eminent *Martini Chemnitii* iudicium de controversiis quibusdam, quae superiori tempore circa quosdam Augustanae confessionis articulos motae et agitatae sunt; quod in lucem tandem edidit *Polyc. Lyserus*. Fatetur *Chemnitius*, recte non posse reiici et damnari editionem Augustanae confess. anni 42; excepta mutilatione articuli 10, multis articulis pleniori declaratione plusculum lucis accessisse. Non vult odiose exagitari *Philippi* illustrationem τε λογίας — de libero arbitrio, vbi nulla qualisunque sit applicatio, ibi nec est nec sit conuersio — *Augustinus*, cum verba iustificationis et iustitiae paululum deflexisset ab apostolica significatione, secutae sunt tristes et horridae tenebrae in regno pontificio — Salubris et satis mitis ingenii est hic libellus. Magna autem est copia confessionum particularium, et scriptionum publicarum priuatarumque, quae inde a morte *Melanchthonis*

II. Lib.

K

thonis

thonis prodierunt; quaedam aperte contra *corpus doctrinae Melanchthonis* editae fuerunt, nec nihil istam caussam corruptit *ducalium mansfeldensium* que aduersus *electorales* theologos aemulatio; atque inuenustum nomen *Sacramentariorum*, quod, quia impietatis quasi iustam accusationem inuoluebat, tum ad Romanos tum ad nos, et arcem quasi Augustanae confessionis et publicae pacis iam constituere videbatur: vñ sunt, pro suo tum intelligendi modo, iure suo principes et magistratus quidam, sic, vt omnino et plane prohiberent, suis in terris existere doctorem aut sacrorum ministrum quemquam, qui, praeter *Lutheri* istam, propriam, sacrae coenae descriptionem, mitiorem aut minus definitam docendo aut scribendo adhiberet. Itaque quaestio diligenter habita fuit de *cryptocalvinistis*; simul et de aliis opinionibus, quae videbantur aut a confessionis augustanae verbis aut sensu recedere. Atque sic tandem, post multa multorum studia, post conuentus et colloquia saepius hic ibi repetita, exemplum et forma alicuius libri tentabatur, qui varias istas quaestiones et lites sic componeret, vt omnium ecclesiarum, quae *Lutheri* nomine vtebantur, consensus firmus et stabilis accederet. Quae res, et si fuit sine scelere et malignitate suscepta et gesta, atque collaudata a multis, tamen eo euentu, quem autores et statores negotii sperabant, fere omni caruit: et praeter variam indignationem, quam excitauit, ad quam non raro et malignitas adversantium accesit, effecit, vt, loco maioris concordiae, seiungerentur ecclesiae *Sueciae*, *Daniae*, *Holsatiae*, *Prussiae* ducalis, *Pomeraniae*, *Saxoniae* inferioris, &c. ab ecclesiis *Saxonicis*, aliisque, quae huic Formulae subscripterunt. *Brandenburgicae* ecclesiae, cum per ista tempora eodem libro ex principum autoritate vterentur, postea, cum

cum satis pateret, *Reformatorum* res sacras minimo minus cum politia bene contuenire, quam *Lutherorum*, nullo iure externo ad istum librum concordiae retinendum adiguntur. Atque fuerint sane seculo XVI rationes, quae forte fraudere posse videbantur, huius rei istum modum huiusque libri ministerium atque usum; sed secuta tempora si aliud secum ferre videbantur, recte terrarum domini suo iure potius utuntur, quam veteri quadam disciplinae rei suae publicae emolumenta patiuntur impediri. Est autem huius caussae, quae religionis externae iura attingit, varia indeoles; quidam principes aliis liberius suum consilium sequi recte possunt. Ceterum et itae ecclesiae, quae hinc libro publicam auctoritatem non tribuebant, doctrinae tamen modum eundem retinuerunt; et si pleraque sacrorum libertatem etiam Reformati secum eamdem postea concessam fuisse, aegre non ferunt; quam quidem libertatem seculo 16. inter nostros vix obtinere licet. Operae autem videtur pretium, breuiter recensere adhuc quosdam libros, quorum ingenium prae ceteris illo tempore spectatur. Sub idem tempus, quo *Augustus*, Saxonie elector, maxime id agebat, ut *formula concordiae* omnia in integrum restituerentur, *Compendium Theologiae* auctum et methodi quaestionibus tractatum, post plures editiones, bonis, ut voluit, omnibus, inscripsit *Iacobus Heerbrandus*, Lipsiae 1579. 8. Utitur autem docendi et scribendi genere claro, atque iudicium ad caussam suam adhibet. Ista est series *locorum* (quorum est numerus satis amplius) de scriptura SS. Scopus Theologiae et SS. de deo; de trinitate; (creavit dñs; dixit dñs &c.) de Christi persona; de unione personali; de communicatione idiomaticum, (non est difficilis hic praceptor;) de Spiritu S. de voluntate dei (nihil de anteced. conseq.)

de creatione; de angelis; de diabolis; de imagine dei; de prouidentia diuina; de libero arbitrio; de contingentia et rerum necessitate; de peccato eiusque cauſa; an pecc. originis sit substantia vel accidens; de animae origine; de peccato actuali; de pecc. in Spir. S. de Lege; de Euangeliō; de regno et sacerdotio Christi; de gratia; de fide; de iustificatione; (cauſa effic. impuls. interior, exterior; formalis, instrumentalis, finalis) de electione et praedestinatione; de bonis operibus; de poenitentia et eius partibus; refutatio doctrinae pontific. de ministerio ecclesiae; de sacramentis N. T. de numero sacramentorum; de ordinatione, baptismo (contra Anabaptist.); coena domini (*corporaliter*; quicquid panī accidit, ob vniōnem sacramentalē recte corpori Christi tribuitur - nemo dentibus lacerat corpus Christi -) modus praesentiae est supernaturalis, cœlestis, spiritualis, qui *sola fide* percipitur; de sacrificiis; V. et N. T. de ecclesia; de clauib⁹ ecclesiae; de miraculis; libertate christiana; de scandalo; cruce vel affliction; de precatione; magistratu; coniugio; Antichristo; morte; sepultura; statu animarum; fine seculi; resurrectione; extremo iudicio; inferno; vita aeterna. *Sacramentum* propriæ est caerimonia vel sacra actio — aliū breuius: est sacrae rei signum, item, est inuisibilis gratiae visibilis forma. — Post formulam concordiae Tilem. Heshusus auctius suum examen theologicum duci Saxonie Iohanni inscriptis, Helmstad. 1586. 8. In dedicatione recte iudicat de patrib⁹ quibusdam, eorum scriptis nos hodie parum iuuari. Disposuit autem locos 31. de deo; vniōne hypostatica naturarum in Christo; (de abstracto aliter hic quam in Prussia scribit; non est dicendum, caro Christi substantia sua est ubique praesens) creatione; lege; peccato; de viribus humani;

manis; euanglio et iustificatione; sanctifice, et renouat. de officio mediatoris; vocatione gentium; sacerdotio Christi; poenitentia; bonis operibus; inuocatione; iuramento; ecclesia; sacro sancto ministerio spiritus; sacramentis; baptismo; coena domini; cruce et consolatione; praedestinatione; libertate christiana; magistratu politico; coniugio; miraculis, caerimoniis et traditionibus human. de votis; de scandalo; Antichristo; fine huius mundi et futura vita. Vtitur ista methodo, vt quaerat; argumenta recitare iubeat, et obiectiones addat, cum respons. Satis breuiter et utiliter solet doctrinam describere. Tandem bona frugis est et illud opus, *Nicol. Schnecceri* operum latin. pars prima, continens formam explicationis *Examinis ordinandorum*, olim scripti a Ph. *Melanchthonem*, institutam et accommodatam ad veram confessionem coelestis doctrinae, sonantis in ecclesiis et scholis Augustan. confessionem *in forma* christiana concordiae repetitam et fideliter conservatam profitentibus; in usum publicum et priuatum discentium SS. litteras in ecclesiis et scholis purioribus, secundo edita, *Lipsiae* 1593. 4. *Augusto*, Electori Saxon. iam 1584 inscriptum fuit. *Prima* pars Examinis theor. de ministerio, vocatione, ordinatione, sustentatione ministrorum; de agnitione dei, verbo dei, conciliorum et tradit. auctoritate, explicatione S. S. et de deo et tribus personis in vna esentia. *Pag.* 71 exstat forma testimonii, quod dari solet in ecclesiis nostris - - commendatum est ei ministerium docendi, - - quorum summa comprehensa est, in symbolis, - - et in formula concordiae de controversis articulis 1576 conscripta. *Pag.* 121 omittit in recensione canonicorum N. T. epistolam ad Hebr. secundam Petri, 2. 3. Iohannis, *Iudei, Iacobi*, et Apocalypsin, - caeteri vocantur

K 3

apo-

apocrypha, facientia quidem ad aedificationem plebis, non vero ad confirmandam dogmatum auctoritatem, tales sunt in N. Epist. Iacobi, ad Hebr. &c. Qui sunt *præcipui loci* doctrinae christianaæ? Resp. sex; de deo; creatione; ecclesia ante et post lapsum; de doctrina legis propria ecclesiae; de Evangelio, iustificat. fructibus fidei et sacramentis; de consummatione, iudicio ultimo, et vita aeterna. Pag. 205. Ioh. 5, 7 expunctum ab Arianis vel Pneumatomachis. Secunda pars: de persona filii dei; de vniione duarum naturarum personali; de communicatione idiomatum, operationum et maiestatis diuinæ; contra Arianos, Nestorianos, et fanaticos. Proba, quod deus pater habeat filium. Psal. 2. Matth. 3 et 17. Proverb. 30. Psal. 72, *iinnon.* Daniel 3, 25 (similis *filio dei*). Pag. 303 occurrit definitio *vnionis personalis* verboſiffima, quae paginam integrum explet; p. 313 *exinanitio* describitur, demissio, qua quasi ex omni filius dei redegit ſe ad nihilum; comprehendit 1) incarnationem ipsam. 2) Assumptionem infirmitatum (hic alii melius postea initiam faciunt) 3) occultationem diuinæ maiestatis. Non desunt in hac tractatione documenta eruditionis, e.g. p. 655, Hebr. 2. *X̄oρις et X̄αριτ θεος*, (vtraque, ita statuere audemus, lectio est ex ſeriori demum additione); p. 672. argumenta eorum, qui realem communicat. idiomatum negant. Tertia pars examinis; de lege diuina; de peccato; de libero arbitrio; de iuſtificatione; de bonis operibus. — Pag. 3. insulſa est diuinitas in legem *naturalem, mosaicam* et Evangelicam; vna est enim aeterna lex moralis. — Opus autem fuit repetitione et noua promulgatione legis in monte Sina, quia obſcuratae fuerunt notitiae legis naturae - quia illas deus confirmare et tamquam rudera erigere voluit, et ostendere, illas notitias

noticias esse vere diuinias - ad agnitionem immun-ditiei interioris homines adducere voluit; praeser-tim in populo in terras gentium proficidente, et quia inexcusabiles voluit esse omnes homines. -- Pag. 69. an non opus est caeremoniis in ecclesia? Species sublata est, sed genus manet. Apostolicae caeremoniae omnino sunt necessariae, ut sunt baptismus, coena domini, conuentus ad verbum audiendum; collectio eleemosynarum, usus clauium. *de libero arbitrio*; p. 207, non recte dicitur, in nobis esse aliquam discriminis causam, cur Saul abiiciatur, David recipiatur. Pag. 215 sunt ne tres causae in conversione hominis? -- Voluntas hominis, si causa dici potest, est causa materialis, circa quam et in qua agit Spiritus S. (non aliter intellexerunt Synergistae) pag. 301, est ne nostra et Christi imputatio commutativa? est. - *Quarta pars*, continens doctrinam de ecclesia, sacramen-tis, poenitentia, iuuocatione, cruce, libertate christiana, magistratu politico, coniugio. Signa ecclesiae, consensus cum doctrina Euangelii; legi-timus usus sacramentorum; obedientia iuxta Euan-delium, seu pietas et honestas morum; coetus, qui palam permittit scelera et turpitudines, non est ec-clesia Christi. Pag. 17. excitat *Syriacam transla-tionem* ut alibi targum. Pag. 18, tetra opinio est, omnes homines cum intra tum extra ecclesiam sal-vari, sicut *Cinglius* scriptit ad Regem gallicum. -- Pag. 22, pie et recte faciunt cordati principes, quod ipsi sunt, re postulante, Episcopi, (Notbischof) et curam ecclesiae suscipiunt, seruato ordine in con-sistoriis. Parum venuste pag. 25 de numero 666 agitur, contineri in ἐκκλησίας ιταλίᾳ. Pag. 49. forma excommunicationis ex Matth. 18, usurpata Wittebergae viuo Luthero; forma publicae poenitentiae et absolutionis, scripta a Philippo Melanch-

thone, usurpata a D. Pomerano 1555, cum recipetur homicida. Pag. 55. *Sacramentum* in veteri lingua significat arcanam sive confoederationem sive coniurationem ad seruandos certos ritus sacrorum et ad alia ciuilia officia praestanda. Nam apud omnes gentes in antiquitate ethnica fuerunt certa collegia, inter se deuincta religione. Hic abusus fuit ethnicorum; sumtus a vero vsu ecclesiae, in qua sacram est sigillum gratiae promissae et in N. T. exhibitae. P. 117, vt nuper habuimus *Anabaptistarum*, negantes trinitatem, filii incarnationem et innocentiam in passione, meritum et fidem omnem, reiicientes verbum et sacramenta, preces et spem resurrectionis. Pag. 207-213. exstat breuis historia, de sententia Melanchthonis, in loco de sacra coena. Pag. 210, ex Ioach. *Camerario: tate*, i. e. ἀρος ὁ ἀρτος, γερικως &c. - Syncedochen non reiicimus, quoad integrum propositionem (panis est corpus); a toto portio nominatur; panis non dicitur μετοχη sed κοινωνια, quod occupat εὐαστιν.

§. XXVI.

De Socinianis.

Nondum ab isto seculo XVI. recedere licet; cum supersit *Socinianorum* disciplina, quae a ceteris majoribus sectis in longe aliam explicandae SS. viam, et alios locos theologicos, abiit; diligentiae autem ad eruditionem colligendam studio minores alias haereses, *Anabaptistarum*, *Mennonitarum*, *Iorishianorum* et *Schwenckfeldianorum*, cum quibus non raro doctrinae in genere conuenit, longo post se interuallo reliquit. Neque vero historiam huius familiae scribimus; itaque dedito consilio a narrationibus fere abstinemus; nobis enim id tantum, quod videtur esse praecipuum, constitutum est, repetere ex isto tempore eum modum, quem *Sociniani* scripto-

scriptores ipsi solebant in docendo et explicando sequi. *Anabaptistarum* quorundam exemplis, et *Serveti* libris facile credimus multorum hominum ingenia commota fuisse; indignationem vero ad non paucos aluerunt duriora supplicia, quibus videbant et *Romanos*, sacrorum statores, et *Genevenses* in eos homines statuere, qui nulla re alia, quam opinionis iudicijque sui diuersitate, de religionis, quam sequendam sibi putabant, et indole et modo, delinquerent. Si enim a *monasterien-sium* infania et agresti furore discesserimus, verum omnino est, istos ceteros variarum opinionum amatores nihil aduersus rem publicam egisse; in deum autem multi longe minus admittebant, quam haud pauci ex ista ceterorum ingenti multitudine. Itaque facile est ad intelligendum, fuisse non paucos bona mente et venustiori iudicio, qui sic statuerent: eius religionis, quae vel atrocem vim et vehementem iniuriam in alios suadeat, qui viuendi cetera iusta et recta ratione aliis inferiores non essent, ingenuam et diuinam non esse rationem; ipsam potius (publicae) religionis indolem esse ad humana consilia et vitiorum consuetudinem hic ibi comparatam, quam ad dei, optimi et clementissimi, institutum atque exemplum. Accessit autem ad iniuriae istam speciem, praecipitemque, ex aliena re sensum, *Φιλοτιμίας* domesticae quaedam vis, quae inde a *Lutheri* insignibus ausibus hic ibi et alios adflauit: ut hi illi et sibi partem emendandae rei sacrae capientem esse statuerent, acriores arbitrii et censores gestarum iam inter Protestantes rerum, quibus non parum adhuc corruptionis et vitii in iis supereesse videretur, quod inde a pluribus seculis quasi romanas per manus traditum parum liberaliter continuetur. Atqua succreuerat ille subfanaticus spiritus iis in urbibus et locis, in quibus libertatis politicae eximius usus

obtinere videbatur; inter *Heluetios*, *Basileenses* certe, *Polonos*, et *Batauos Socinorum* studiosi amatores et discipuli locum praecipue et habuerunt isto tempore et quae fuerunt; seculi tandem sub finem *Statuum unitorum* decretum aduersus *Christophorum Ostorodum* et *Andream Voidouium* innovuit, qui et ipfi inter *Batauos* religionis omnem, quam quis vellet, libertatem contingere opinati fuerant. (*Apologia* horum auctorum, anno 1598. 4. lingua *Batauorum* edita.) Attulerant autem isti secum *Fausti Socini* disputationem, de seruatore Christo, ante annos XX et quod excurrit, scriptam, nec typis adhuc excusam; quemadmodum etiam *Ostorodii* confessio de vno deo patre, eius filio et spiritu S. cum notis ad *Schwencfeldii* confessionem de Iesu Christo, per plures annos litteris tantum et manu exarata solebat dispergi. (*Praefatio Ostorodii* ad disputationem aduersus *Georgium Tradelium*.) Videtur autem operae pretium, paulo proprius cognoscere *Socinianorum* librorum modum atque ingenium. Utuntur saepissime istorum scriptorum auctoritate atque adiumento, qui inter *Heluetios*, seu *Reformatos* praincipue valebant; *Caluini Bezae*, *Musculi*, *Piscatoris*; *Roberti Stephani* bibliis, &c. *Dudithius* litterarum commercium habebat cum *Beza* &c. *Faustus Socinus* ipse cum *Geneuensibus* quibusdam ministris disputationes, data occasione, instituit; atque inde factum est, ut anno 1577. *Iacobus Couetus* scriptionem breuem, de ratione salutis nostrae, a *Socino* secum *Francofurtum* abstulerit, cui postea refutationem adiecit et *Socino* transmisit; qui denuo reposuit. Sic nata est illa disputatione, quae tandem a *Socino* fuit recognita, et sic in lucem edita 1594, postquam diu iam manu plurium descripta a fautoribus hominis lecta fuerat. *Couetus* dispu-

*Zugleich auch
jeg. Bänder:*

disputationis quasi fundamentum illud posuit, iustitiam diuinam sic tulisse, ut per Christum satisfaciendum fuerit nostro loco, atque sic Christum esse et dici *servatorem*. Duplicem hic iustitiam *Socinus* distinxit; aliam, qua deus imponentes punit; aliam, qua, si vellet, nec ii possent ante faciem ipsius consistere, quos pro sua benignitate iustos iudicat; poenitentes et pios. *Aequitatem*, reſtitu-
dinem appellat; qua non perpetuo vtatur, sed cum
velit. Duplicem etiam misericordiam; aliam, qua
poenitentibus omnia condonat; aliam, qua homi-
nes praeuenit, et gratuito, ne cogitantibus qui-
dem, veniam et salutem offert; illa deum perpetuo
vti, hac vero, tantum, cum ipſi lubaerit. Illam
oppositam esse priori iustitiae; alteram vero alteri
iustitiae. In scripturis tamen iustitiam, cum ad deum
refertur, nunquam opponi misericordiae; sed
praecipue et plerumque aequitatem et reſtitu-
dinem significare. Eam vero rem, quae ad deum relata,
misericordiae opponitur, a sacris scriptoribus ap-
pellari vel iram, vel vindictam, vel furorem, vel
alio nomine: -- Hebraicae linguae peritissimos
annotasse, iustitiam saepe idem esse ac benignita-
tem, 1 Sam. 12, 7 vulgatus habet, misericordiis.
Psalm. 112, 9, 2 Corinth. 9, 9. Quid enim diui-
nae naturae conuenientius, et propterea aquius ac
iustius, quam humanum genus miserum, immeritum
licet, beneficiis afficere? Itaque iustitiam - in
deo non residere vt proprietatem, sed esse tantum-
modo effectum voluntatis eius. Potest deus, cum
ipſe omnium sit dominus, de suo iure remittere. --
Duplici ratione Christus *servator* noster dici potest;
vel, quia ipſe efficerit, vt nos salutis viam ingressi-
simus; vel, quia per ipsum non steterit, quo minus
eam ingredieremur. — Nam si ea, quae propter
nos fecit, talia sunt, vt inde nobis salus consequi
posset,

posset, quamvis effectus in nobis non sequatur; cum id culpa nostra eueniat, non tamen etiam eo casu Seruatoris nostri nomine potest vlo pacto priuari. Hinc enim Christus indistincte *Seruator mundi* dicitur Ioh. 4, 42. & Ioh. 4, 14 quamvis mundi magna pars eum adspernetur - nulli dubium esse potest, quin is, qui *salutis viam alicui annunciat*, eius *seruator* dici possit; (sicut de *Paulo*, Rom. 11, 14. & Cor. 9, 22. *Iacobi* epistola, fine.) — multo magis seruator dicendus erit, si eandem viam veram esse, aperte probet atque confirmet; *testimonium* reddit veritati, Ioh. 18, 37. Apoc. 1, 5. 3, 14. Christi sanguine *foedus* nouum sanciuit et confirmauit deus. — Nos possumus Christum imitari, haec est aeternae salutis via; ob id Christus iure seruator noster appellatur. — Deus *vult pro iustis* in futurum *habere*, ac si perfe*ctissime* sua pracepta seruassemus, quicunque verbis Christi fidem habentes eius vestigia secuti eumque imitati fuerimus. — *Paulus* Rom. 7 sub persona sua de iis loquitur, qui adhuc expertes solidae gratiae sub lege sunt — sic praeter *Augustinum*, qui olim ipse aliter sensit, omnes, vt arbitror veteres theologi, ex recentioribus, *Martinus Bucerus*, quem a vobis merito magni fieri intelligo. Cap. 5, Christus a mortuis resurgendo salutis aeternae viam nobis ostendit. Cap. 6 probatur, Christum ideo seruatorem nostrum et esse et nominari, quod ipse vitam aeternam nobis datus est, vt homo et mediator. Matth. 28, 18 haec locutus est Christus, (vt recte annotauit *Caluinus*,) vt sui Apostoli vitam aeternam eius nomine promittere auderent. Cap. 7 *mediatoris* nomine nullam diuinae iustitiae exhibitam satisfactionem, nec ullam irae dei placationem significari. Gal. 3, 19 internuncius significatur mediato*ris* nomine, in lege scil. promulganda, vt recte scribit

scribit *Joh. Calvinus.* Cap. 8. Reconciliatio non intelligenda, vt Christus irae dei pro nobis satisfecerit. Disputationis pars 2. cap. 1. Redemptionem nostram per Christum, esse metaphoricam; sic legitur *redimere* saepius, in V. T. etiam. Ex peccati seruitute, Rom. 7, 14, nos Christus redemit; sicut *venditi* sub peccatum, nullo interueniente vero pretio, sic et redemti. Cap. 2. continuatur. Quamuis antiquiores quidam ausi sunt dicere, *dabolo* pretium pro nostra liberatione datum esse, (Ambros. Augustin.) tamen, vt *Wolfgang. Musculus* in suis locis communibus eleganter differit, id perabsurdum videri debet. Cap. 3, cur non potius resurrectio quam mors Christi redemptionis pretium dicitur? Cap. 4 loca, in quibus Christus dicitur *portare* peccata nostra; (*cauferre*, non perficere poenas; sed *Socino* hic omnino contraria est phrasis, portare iniquitates Threnor. 5, 7, &c.) Cap. 5, Esiae loca LIII expenduntur. Cap. 6. locus 1. Petri 2, 23. Nemini constabat vel constare poterat, Christum sustinuisse vniuersas poenas peccatis nostris debitam. Cap. 7 explicantur testimonia, quae dicunt Christum, propter peccata nostra, sine pro peccatis nostris mortuum esse. Cap. 8. Christum pro nobis mortuum esse, non significare, vice seu loco; sed nostra causa. Cap. 9, non usque quaque verum est, sacrificia V. T. mortem Christi figurasse; sed tantum illa, quae pro vniuerso populo, publice fiebant. - Affero, nos etiam sacrificia expiatoria offerre, Psalm. 51. Cap. 10, ex adiunctoratione mortis Christi in legis sacrificiis expiatoriis, nullo modo posse colligi, Christi mortem pro peccatis nostris, iustitiae diuinae satisfecisse. Cap. 11, nusquam ullo pacto dictum fuisse, sacrificia illa legalia pro peccatis facere. Cap. 12, ratio et finis anniversarii sacrificii

Leuit.

158 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

Leuit. 16. Cap. 13 facta collatione mortis Christi cum legalibus victimis expiatoriis, ostenditur, per Christi mortem longe alia ratione expiari peccata nostra, quam diuinæ iustitiae pro illis satisfacien-
do. Cap. 14, Christi mortem multo plus efficere in peccatis nostris expiandis, quam efficerent victimæ illae legales. Cap. 15, Hebr. 9, 13. 14. oblationem Christi expiatoriam peractam fuisse in caelo — non prius perfecte Christus se deo obtulit, quam cum se illi in caelo pro nobis praesentavit; apparere C. 9, 26, est, coram deo apparere; vt c. 10,
11 simplex verbum *astare*, pro adstare ad aram, vt docte et eleganter annotauit *Theod. Beza.* — Oblationem hic idem esse ac presentationem Christi in caelo, deo pro nobis factam, vedit etiam ante me, quisquis fuit, (doctum profecto hominem fuisse constat,) qui marginales annotatt. N. T. scripsit,
a Roberto Stephano 1545 Lutetiae editi; ad Cap. 8, 5 sribit, in caelo enim seipsum deo of-
fert; — idem sentit, quod nos, Christi oblationem adhuc perpetuo fieri. (Sanguinem Christi in caelo feruari opinabantur hodieque quidam e schola *Tu-
bingensi.*) Cap. 16, per Christi mortem homines a peccato retrahi. Cap. 17, mors Christi legales victimas in peccatis expiandis excellit. — Illae victimæ praeterita quaedam peccata expiant; Christus autem vere et perfecte nostra peccata sustulit, etiam futura delendo, a peccatis ipsis in posterum retrahendo. Cap. 18, discrimen V. et N. T. in peccatis expiandis attingitur. Cap. 19. ex eo, quod Christus in summi pontificis persona adumbratus fuit, minime concludi posse, Christum pro pecca-
tis nostris deo satisfecisse. Cap. 20, collatione facta inter legalem pontificem et Christum, ostendi-
tur, qua ratione Christus peccata nostra expiavit — Hebr. 1, 3 notandum est, vt hic dicit *Caluimus,*
non

non hic doceri friuolas sp̄eculationes, sed tradi solidam fidei doctrinam - Christi sanguine *sanc&ificari*, C. 13, 12. 10, 29 significat potissimum, per Christi sanguinem ad veritatis cognitionem, ad diuinæ voluntatis, bonitatis, aeternae vitae, peruenire, et ita a profano hominum vulgo separari. Cap. 21, Christum nostrorum peccatorum expiationem, antequam post mortem suam in caelum ingredeleretur, non peregrisse; ibi, in caelo, peccata nostra perpetuo expiare; i. e. ab ipso siue per ipsum misericordiam et gratiam nobis dari. Cap. 22, Christum non minus, quam legalem pontificem, pro se quoque obtulisse; (licet non pro suis peccatis; sed ut liberaretur a mortalitate et infirmitate carnis.)

'Απὸ τῆς ἐνλαβείσας, ex metu, metonymice, pro ex eo, quod metuebat. Hebr. 7, 27 *hoc enim fecit semel*; complectitur *vtrumque*, quod praecessit; pro suis peccatis, (i. e. poena, morte,) et pro populi, satisfecit Christus. - Ab oblatione Christi in caelo, crucis mortem non separo. Cap. 23, Christum reuera sacerdotem non fuisse, ante suum in caelum ingressum, hacque in re esse legali pontifici dissimilem. Cap. 24, examinantur tria loca, Gal. 2, 21. 4, 4. Coloss. 2, 14; non intelligenda esse, de satisfactione quadam. - Fateor, per Christum nos consequi, quod deus seruantibus legem promiserat. Galat. 2, 21, - Christus ergo sine causa mortuus erit, ita intelligendum. Paulus ponit pro concessu, docuisse Christum viam iustitiam consequendi longe diuersam a via legis; haec diversitas inde patet, quod iustitia, quae est secundum legem, requirit, ut ipsam legem absolute seruemus; iustitia vero, quam per Christum consequimur, vitae emendatione et peccatorum remissione continetur. Atqui vitam emendare et peccata remitti, omnino pugnant cum absoluta legis observatione.

160 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

tione. Vnde manifestum fit, sine causa mortuum fuisse Christum, si a lege iustitia petenda est. Galat. 4, 4 factum sub lege, ut redimeret; intelligendum est de iugo legis, ut spiritus seruillis loco filiale spiritum adipiscerentur. *Coloss.* 2, 14, chirographum; de lege caeremoniali agit, et deus ipse illud deleuit, non Christus. Cap. 25, locus 1 Ioh. 2, 12 perpenditur; satisfactionem pro peccatis nostris ex eo nullo modo posse confirmari. Cap. 26, examinantur loca Hebr. 9, 26. Apoc. 13, 8. - quicquid vulgus *nostrorum* Theologorum haec tenus senserit, non potest vila ratione probari, Christi mortis fructum ad eos fideles etiam, qui ab ipso orbe condito extiterunt, pertinuisse. Sed demus - an inde satisfactionis sequitur? - De *satisfactionis* verbo me nihil sollicitum esse animaduertere potuisti; res enim non verba quaero. Id nihilominus affirmare non dubitabo: non carere falsitatis suspicione eas in religione nostra opiniones, in quibus explicandis utriusque sit verbis et loquendi formulis, sacris scriptoribus prorsus incognitis. - An non, quemadmodum libri vestri, cum etiam de ea re disputatio nulla est, eiusmodi sententiis vnde scatent: sic etiam sacrae scripturae, si salus nostra ex eo penderet, quod Christus iustitiae diuinae pro peccatis nostris satisfecisset, illis refertae, saltē respersae, essent? - An non omnes pontificiorum errores, quos nunc merito detestamini, hanc notam, qua se ipsos produnt, habere ipsi agnouistis: quod ea affirmanter, de quibus in diuinis litteris nihil diserte scriptum exstat? *Pars tertia*, in qua rationes et testimonia explicantur, quibus euincitur, falsam esse sententiam istam, quod Christus morte sua deo, sive eius iustitiae pro peccatis nostris satisfecerit. Cap. 1. deum iure potuisse nobis condonare peccata nostra (seu de iure suo remittere) nulla pro ipsis

ipſis vera ſatisfactione accepta. Cap. II. Deum voluiffe nobis peccata noſtra condonare, nulla pro ipſis vera ſatisfactione accepta. — Remiſſio duas partes habet; vna eſt, quod iſ, qui debet, ea obligatione ſoluitur. Altera, quod iſ, cui debetur, ſibi ſatisfieri non vult. — Hac vere diuina et longe praeclarissima laude impie et ſacrilegio deum ſpoliat; quisquis, vt pro peccatis noſtriſ ſuae iuſtitiae plene ſatisficeret, cum curaſſe, affirmare ac contendere audet. Matth. 18, nulla mentio exſtat ſatisfactionis in illa parabola. Nec Ephes. 4, 32. 5, 1. ſatisfactione innuitur, cum deum imitari iubemur. — Contra *Dantem Aligerium* et alios, qui cum negare non auderent, deum potuiffe ſic remittere, vt nulla ſatisfactione intercederet, tamen dixerunt, deum maiorem liberalitatem inde apparere voluiffe, quod, deus dato proprio filio ſatisfactionem veram interuenire voluit. Cap. III. Nobis non pereuntibus, (morientibus,) diuinae iuſtitiae pro peccatis noſtriſ nullo modo ſatisfieri potuiffe. Cap. IV. Chriſtum poenarum, quas nos, ex lege dei, ſubire tenebamur, ſolutione, diuinae iuſtitiae pro nobis ſatisfacere non potuiffe. — Mortem certe aeternam non ſubiit. — Video, quid ad haec - ſis responſurus; Chriſtum non purum hominem eſſe; - personae dignitatem et vim infinitam efficere, vt ea, quae paſſus eſt Chriſtus, eiusdem ſive maioris pretii ſint, quam quae quilibet noſtrum pati debebat. — Vide, quibus philosophicis inuentis opus ſit, vt iſtam veram ſatisfactionem defendere poſſitis. — Quamuis non defuerint, qui Chriſtum damnatorum poenas paſſum fuisse, affirmare ſint ausi, (Caluimus et alii ante iſpum) tamen exploſa eſt ſententia iſta - abſuit enim desperatio. — Chriſtus autem poſtea tantam gloriam eſt consecutus - vt iſta omnia poenae nomine ſimpliſter appellari non deberent, ſed labo-

II. Lib.

L

res

res praemia antecedentes. - Vos ipsi diuinam na-
turam in Christo non aliter, quam per communica-
tionem idiomatum passam fuisse confitemini - ergo
per communicationem quoque idiomatum, non au-
tem vere, vis illa infinita Christi perpessionibus
inerit; - ita non vere, sed per quendam loquen-
di modum a poenis delictorum nostrorum liberati-
simus. (Hic Socinus aut sciens fallit, aut com-
municationem idiomatum tantum describit, vt isto
tempore *Caluiniani*, aduersarii Tübingerium et
Wittenbergensium). - Si singas infinitatem pretii
tantam esse - necesse est etiam vt singas, quamlibet
perpessionum Christi idem efficere potuisse. Id
quod aliqui etiam ex doctoribus scholasticis confin-
xere, dicentes, vnicam sanguinis guttam satis su-
perque futuram fuisse, ad humanum genus redimen-
dum. Quod si verum est, non video, quomodo
deus aut insectiae aut immanitatis excusari queat,
qui, cum nobis quam leuissime Christum affligendo,
salutem dare potuisset, eum tam dirae morti subii-
cere sponte veluit. Nam, quod aliqui ex vobis
(*Zanchius*) aiunt, ex firma dei voluntate, sine
sanguinis effusione nullam remissionem fieri, id pri-
mum falsissimum est; deinde, necesse quidem esset,
mori Christum cruenta morte, sed, vt tam detesta-
bili mortis genere occideretur, vt perpetuo, dum
vixit, tot malis circumcidaretur, - haec fieri nihil
prorsus cogebat. Hebr. 9, 22 sic intelligendum est:
in lege Mosis nullam peccatorum expiationem con-
cedi, in qua sanguinis effusio non interueniat. -
Sed age concedamus - cum dicimus eum, qui
pro alio poenas corporales soluat, eiusdem naturae
esse debere, cuius is est, pro quo soluit: certum
est, id per se ipsum satis non esse; nisi etiam qua-
tenus eiusdem naturae est, eas omnes exsoluat.
Nihil ergo ad istam satisfactionem pertinet, quod
divina

diuina natura in Christo aliqua ratione passa fuerit. Non enim a diuina natura vlo modo, sed ab humana tantum diuinæ iustitiae satisfaciendum erat. (Sic certe, si *Socino* ista prouincia fuisset imposta, informandi hoc ministerii genus.) Cap. 5. Christum eorum, quae nos ex lege dei facere debebamus, praestatione, diuinæ iustitiae pro nobis satisfacere non potuisse. - Christus nec sibi mereri aliquid potuit, quia obnoxius ipse fuit legi diuinæ aeternæ, (vt *Caluinus* ipse contra Scholasticos docet,) nec aliis hominibus. - Vbi debitum est, ibi nullum verum et proprium meritum. - Cap. 6. concluditur ex supra dictis, Christum non potuisse diuinæ iustitiae pro peccatis nostris satisfacere; idque amplius confirmatur atque ostenditur, vera et propria Christi merita ex Aduersariorum sententia statui, quae cum dei gratia manifeste pugnent. Cap. 7. respondetur ad argumentum: quicunque moritur, aut pro suis, aut pro alienis peccatis moritur, ob iustitiam dei, (ne Christus iniuste mortuus sit,) Rom. 6. mors peccati stipendum. Christus mortuus est. Ergo aut pro suis aut pro alienis peccatis mortuus est. Sed non est mortuus pro suis, ergo Christus pro alienis peccatis mortuus est. Concedi potest tota argumentatio; fateor et gloriior, Christum pro peccatis nostris mortuum esse; i. e. peccatorum caussa; sed annon peccatorum caussa aliquis mori potest, nulla satisfactione interveniente? Si maiorem intelligis, *pro* peccatis, ad satisfactionem pro peccatis: falsa et impia erit propositio, cum innumerabiles moriantur, qui nec pro suis nec *pro* alienis peccatis satisfaciunt; imo, vt te credere arbitror, Christo excepto, omnes. Dictio *pro* numquam impulsuam, sed semper finalem caussam declarat, itaque non potes sic intelligere (*pro* peccatis,) quia imputantur peccata. Atque sic non

L 2

esset

esset iniustitia dei, si Christus mortuus esset, quia vel vnius tantum hominis peccata ei imputata fuissent - sed demus, num ideo concludendum erit, pro peccatis eum satisfecisse. Cap. 8. propositionem, (neminem mori, nisi pro peccatis aut suis aut alienis,) falsam et ineptam esse, de quacunque tandem morte interpretari eam velimus, ostenditur. Cap. 9. Idem magis demonstratur, et quod Christus sit mortuus, nec tamen illi peccata nostra imputata fuerint, hoc vel maxime iustitiam dei commendare, ratione concluditur. Cap. 10. Non potuisse Christo peccata nostra imputari, a deo, nisi ut sibi imputarentur, commeritus fuerit. Cap. 11. Ex Coueti suorumque sententia multa mala, ex Socini vero nulla prorsus prouenire posse, demonstratur. *Quarta pars.* In qua Coueti sententiae appendices quaedam maximi momenti diligenter examinantur. Contra imputationem satisfactionis Christi per fidem. Cap. 12. - quid aliud acceptum ferre significat, quam pro soluto habere, licet vere solutum non sit? Quid aliud est ipsa *acceptilatio*, quam, per sola verba obligationis liberatio - satis est, in acceptilatione per sola verba debitorem liberari. Quod si vel ipse vel alius reuera soluat, acceptilationi (et phrasi, acceptum ferre) non est locus. C. 2. perperam dici, per fidem nobis imputari, i. e. applicari seu impartiri satisfactionem Christi. Iam *Socinus* C. 3. luculenter instituit *λεπτολογειν*. Si beneficium (peccatorum per Christum remissio) datum est, quid opus est, ut rem ita se habere credat? Ineptius hoc postea repetit. Fatetur, si idcirco hoc requiri affirmaremus, ne iam accepto beneficio priuaremur, omnem satisfactione illa admissa absurditatem vitaretis. Cap. 4. merum commentum esse, iustitiam Christi nobis imputari. Fingit sibi ipse *Socinus*, 1 Cor. 6, 9.

Galat.



Galat. 5, 21. Ephes. 5, 5. non id sibi velle, ex nostra sententia, vt si salui futuri simus, ab ipsis vitiis vere abstineamus, sed, vt abstinuisse censeamur - vt nobis, quantumvis iniustis, Christi iustitia imputetur - nobis persuasissimum esse, vitae nouitatem non re ipsa, sed per imputationem nobis inesse debere. - Non opus esse, vt vera in nobis vitae sanctimonia reperiatur, imputatiuam sufficere, peccati nos mancipia perpetuo in hac vita esse - vitae emendationem a nobis reipsa stirpitus euulsam in hominibus inferi videri - - nos deo gratos esse, licet in nouitate vitae reuera non ambulemus. — *λογιζεσθαι* potius esse reputare, quam imputare. - Crediderim ego *λογιζεσθαι* significare imputationem, qua fiat, vt id, quod nobis imputatur, vere deinde habeamus, non autem tantummodo habere censeamur. Hic *Socinus* sedulo nihil agit. Cap. V. de 1 Cor. 1, 30. In hoc vestrae sententiae maximum fundamentum vos ponere animaduerti. - Eadem ratione ergo Christus factus est nobis sapientia, i. e. eius sapientiam nobis stultis imputari. *Redemptio*; Christum pro nobis redemptum esse. (Hic eximie fallit et fallitur; pro nobis est *redemptor* dicendum erat.) Cap. VI. Nihil arbitror vobis maiorem errandi occasionem dedit, quam Rom. 5, collationem Christi cum Adamo. - - Editio vulgata legit, *in quo* omnes peccauerunt; (pro ἐφ' ὧ, quatenus, eo, quod.) - Quamuis haec Pauli disputationis pars variis modis explicari possit, id tamen ex ipsa semper elicetur, *differentiam hanc mali*, quod ex Adamo peccante contraximus; et *beneficium*, quod per Christum obedientem adepti sumus, *statui* debere: quod illud *ex uno* sive *vnius delicto* prouenit, hoc vero *ex multis delictis* condonatis profectum est. (Hoc non facile patet.) Illud, propterea sicut per *vnum* hominem &c. ita sup.

L 3

plen-

166 LIB. II. INSTITVTIO BREVIOR

plendum: sic per vnum hominem obedientia in mundum intravit et per obedientiam vita; et ita in omnes homines vita pertransiit, in quo omnes obedierunt. Nec quis dicat, repeti *omnes*, (in quo omnes peccauerunt;) istud apud me nullius ponderis est, cum eiusmodi superuacaneae verborum repetitiones in sacris litteris satis frequentes sint. -- ἐφ' ὧ pro quandoquidem in *complutensi* aliisque emendatoribus editionibus reperitur 2 Cor. 5, 4, vbi eius loco vulgati ἔπειδη habent. Quemadmodum per *Adamum* actuale et verum peccatum in mundum intravit, sic per Christum actualis et vera obedientia in mundum intravit, i. e. ab eo, diuinæ voluntati ea ratione obediendi, qua *hoc tempore* (per Christum nempe,) iubemur, initium est factum; (Ergo in V. T. nulli obedientes?) quod ex Adamo propagati erant, qui morti obnoxius fuit, adeo, ut de *ipsis idem* iudicium factum fuerit, ac si non secus, atque Adam fecerat, singulare aliquod dei praeceptum contempssissent - sic idem iudicium de iis fiet, qui ex Christo sunt propagati, ac si, ut Christus fecit, perfecte et ipsi deo obediissent; (tamen imputationem impugnat *Socinus*.) -- Peccata ita interpretari, ut delicta omnia quae aduersus legem naturalem committuntur, et sic omnia peccata actualia complectatur, *perridiculum sane est*, (in gravi tamen caussâ!) respicit enim illud, peccatum non imputari, nisi lex adsit; lex inquam expressâ, ut Mosaica. (Hoc est omnino contra Pauli disciplinam de lege Mosaica, et contra stilem; non imputatur, valet, non legimus antea, Israelitarum maioribus hoc illud, quod tamen contra Mosaicam istam legem fecerunt, peccati loco exprobratum fuisse. Caini, Sodomorum et alia peccata, non erant contra legem expressam, et tamen peccata exprobrantur.) Postea λεπτολογεῖ
Soci-

Socinus, execrabilius dictu vix quicquam dici posse, quam, deum, omnis rectitudinis fontem, prauae voluntatis in homine, sive ut puniret, sive quamcunque aliam ob caussam, *auctorem* fuisse; quasi hoc quisquam statuat; atque amoto omnino ex orbe deo mentis deprauatio quaedam contrahi queat. Continuatis actibus habitus modo huius, modo illius vitii est comparatus, quo naturam nostram corrupte per generis propagationem, ea corruptio deinde in nos est deriuata; (hoc nec nos negamus ad hanc caussam pertinere.) - *diciamur* non tam iniuriae correctio est, aut iustificatio, quam iuste factum; (id non male admonuit, contra *Erasmus* et *Bezan*) Cap. 7. eos, qui salutis participes sunt futuri, necesse habere, ut reuera sint pii, et reuera, non imputatione tantum, innocenter viuant; qua in re non erat, ut contra nos scriberet *Socinus*. Cap. 8. Credere, aliquem poenas, quas ego pendere tenebar, pro me persoluisse, quid commune habet cum eo, quod eius probitas et innocentia mihi imputetur? - Absurditatem vitare non potestis, nisi dicatis, satisfactionem respicere tempus, quod fidem praecedit; iustitiae autem imputationem respicere illud, quod subsequitur. - Sed vtraque, *crede mihi*, (cur credit Socino?) haec salutis ratio penitus abiicienda est - istud porro (nos, qui deo ex Christi praescripto obedimus, perinde ab ipso haberet, ac si perpetuo, postquam adoleuimus, eius praecpta absolutissime conservassemus) sive Christi iustitiae imputatione, sive quacunque alia ratione fieri dicatur, non multum refert, dummodo vitae sanctimonia salua sit. Sed Christi iustitia ad impietatem nostram, etiam postquam ipsum nos agnouisse profitemur, obtegendam abuti velle: suprema est impietas et totius religionis euersio. (Sed hoc nostris tribuere sine

calumnia non poterat.) C. IX. Credere, per ea, quae passus est Christus, nostra peccata deleta fuisse, non esse fidem in Christum eam, qua iustificamur. Fides promissione dei nititur, (*Caluin.* lib. 3. institut. c. 2.) promissio autem futurum tempus respicit at vestra fides praeteritum tempus respicit &c, (*Hic Socinus* et SS. disciplinam, et rei *ηθικης* ingenium vltro negligit.) - Fides non modo assensum sed etiam fiduciam, confidentiam, et hanc praecipue, significat. -- Christus populo numquam dixit, se iis, quae passurus esset, ipsorum peccata deleturum - Ioh. 10. v. 15 idem, ac, se in vitae discrimen se ipsum adducere, vt suos a morte servaret; quae salus an peccatorum deletione, an vero re alia constaret, ex Ioh. 13, 37 nullo modo liquere potest. - Petrus etiam dixit, se pro Christo animam suam ponere velle, num autem hoc est, vt Christi peccata deleret? (Ista parum venusti sunt ingenii; saepe enim Christus confirmat, tibi peccata tua remissa sunt &c.) - Quid commune habet, quod quis credit, per Christi mortem peccata sua deleta esse, cum eo, quod vitam suam ad dei normam instituat? (*Nempe, vbi μετανοεῖ,* cuius haec fides pars est?) - Si vos vera dicitis, Christus et discipuli, qui in exhortationibus ad bona opera toti occupati esse videntur, fidem istam vbi-que inculcare potius debebant - (*Nempe fidei fructus inculcant, et cum iis fidem.*) Cap. X. - sic alios docere caepistis, et nullo negotio ingentem fidelium numerum, si deo placet, breui tempore vobis perperistis - pugnant haec inter se, deleta iam esse per ea, quae passus est Christus, peccata nostra, et delenda fore; nec, si iam vere deleta non sunt, vere credi potest, ea deleta fuisse. (*Hic sine ratione λεπτολογεῖ Socinus.*) Cap. XI. fides in Christum, quae nos iustos coram deo constituit, nihil

nihil aliud est, quam Christo confidere; non solum vera esse credere, quaecunque Christus ad nos spe-
stantia dixit, sed etiam ea tanti aestimare, vt, si
quid facere nos praecepit, id faciamus; si sperare
iussit, vt speremus - (ista, vt vera sunt, etiam
nos sentimus;) Cap. XII. ordine proposito aduersarii
dicta resellendi, quomodo fides in Christum
dei donum sit, breuiter explicatur; (contra *Coue-*
tum, qui particularem gratiam et fidem descripse-
rat.) *Lactantius* optime descripsit fidei rationem,
diuin. institut. VII, 1. Cap. XIII. respondetur ad testi-
monia aduersarii *Ephes.* 2, 8. 2 *Theff.* 3, initio;
Aetor. 13, 48. et de praedestinatione atque viribus
humanis in fide Euangelio adhibenda, disputatur. -
Vale Tuus in Christo I. C. 1577. Vale tuus in
Christo F. S. 1578. Pertinent autem hoc etiam,
responsiones extemporales in D. *Ioh. Niemoienii*
scriptum aduersus partem quandam disputationis, F.
Socini, de I. C. Seruatore.

Speciminis loco ista sufficient, vt de F. *Saci-*
ni ingenio et tractandi modo sententiam ferre ali-
quis possit, atque intelligere: vix aliis scriptorum
aliorum theologicis scriptionibus magis exerceri at-
que ad nos augeri posse hermeneuticam omnem
SS. facultatem, quam *Socinianorum* libris; non,
quod praeceps et semper veram expositionem tene-
ant, cum dissentiant ab aliis; saepe enim parum
liberaliter, atque veniente interpretantur, modo
suae rei seruant; sed, qhod sine multo exercitio
iusta et firma interpretandi facultas comparari non
potest. Possunt autem vitilia multa colligi ad histo-
ricam caussam, ex eius temporis aliis scriptis.
Dissentiebant *neochristiani*, (ita solent a quibus-
dam nominari, atque hoc nomen pati hand paulo
libentius, quam *Anabaptistarum*;) inter se ipsi,
et de Christo, Sp. Sancto, et de aliis multis decre-

tis; per *Fauustum* tandem *Socinum*, qui *Laelii* auctoritate videtur commode usus esse, atque litterarum commercio cum multis aliis eruditis, sensim ista dissidia sublata fuerunt. Quod monuimus, *Serueti* et aliorum supplicia insignem indignandi speciem, atque separatae a *Romanis* aequae ac *Caluinianis* societatis studia suggestisse, facile patet, si quis vel Andr. *Dudithii* epistolam ad *Bezam*, et *Bezae* ad ipsum legerit; *Beza* sic tuetur atrociora in *Seruetum* et *Gentilem* decreta, ut aegre ferat illam diabolicam libertatem, quae *Polonię* et *Transiluaniam* tot pestibus impleuit, quas nullae alioquin sub sole regiones tolerarent. Non sine ratione autem et *Socinus* et *Dudithius*, illud reprehendunt, quod simulac aliquis paulo miserabiliori morte abeat, statim hoc iusto dei iudicio factum esse clament; addit *Dudithius* cum *Bezae* ingenue respondet: non est humanum, mortuis insultare, nec a mortis genere, de pietate iudicium ferri debet; alioqui, quid de Christo, Apostolis et martyribus sentictis. De *Zwinglio* vestro? Desine ita cum vulgo sentire, ut statim impium fuisse censes, si quis non leni et placida morte moriatur &c. Atque *Socinus* *Seruetum* defendit ipse, in responsione ad praefationem *Vujecki*. *Serueti* supplicio *Laelius* ipse, admonitus isto fato, prudenter egit; et *Tiguri* inter capitales suae sententiae hostes mansit integer atque illaesus; suos praecipue *Italos* erudiit, quos pium ac voluntarium exilium per multas Germaniae atque Poloniae regiones sparserat. (vita *Socini*.) In *Polonię* primum venit 1551, Francisco *Lismanino* cœuilarie abiicendae auctor fuit; 1562 Tiguri mortuus est, postquam litteris Regum Poloniae atque Bohemiae ad patrimonium *Bononiae* recuperandum adiutus fuit. *Faustus*, fratrius Alexandri filius, *Laelii* scriptio-

scriptiones ab insidiis eripuit. Hunc autem *Laelium* videtur *Socinus* designare, in responsione altera ad Responcionem And. *Volani* pag. 406. biblioth. fratrum polonorum tom. 2, "sed, qui primus nostra aetate de Christi essentia atque persona exactissimam, ni fallor, veritatem in lucem protulit, idem hanc illius loci (Ioh. 8, 58) explicationem primus reperit, et porro, dum viueret, eam non paucis piiis hominibus prorsus probauit.,, Cum in *disputatione inter Erasmum Iohannis et F. Socinum*, (1584) hic scribat, pag. 523. loco citato: ante annos ferme *viginti* duos eum locum, (mundus per ipsum factus, i. e. denuo factus, aut futurus ille mundus,) sic accipiendum esse docui &c. quod tempus incidit in annum 1562, oportet *Faustum* satis mature perceptam ex *Laelio* disciplinam et ipsum propagasse. In *Epistolis* F. *Socini* multa ad recte indicandum de eius instituto inueniuntur; ex quibus id fere patet, *Socinum* et se familiae peculiaris sacrae caput constituisse, quae *Reformati* haud paulo praestet; ep. 1. ad *Statorium*, de sacramento Eucharistiae agit, et recenset breuem historiam inde ab *Oecolampadio*, quem *Zwingliumque* vult tandem aliorum offensione deterritos, plus eucharistiae tribuisse; inde *Bucerum*, ut concordiam cum Lutherò aliquam iniret, eam fabricasse sententiam, quam postea et *Caluinus* et alii arripuerint. - Mitto ad te *Borhai* tantum testimonia, olim a *Laelio*, patruo meo, collecta - interim ea satis tibi esse debebunt, praefertim cum nondum cum fratribus de tota re agendi sit tempus. Ep. ad M. Anton. *Euonymum*, Carinthium *Teuchenum*, olim professorem in acad. *Witteberg*. - Hoc tibi confirmo, ecclesias nostras indies magis proficere, maxime vero earum rerum cognitione, quae ad vitae sanctimoniam pertinent,

quam

quam aut nullam aut per exiguum aliqui *in plerisque ecclesiis*, quae se reformatarum nomine venditant, cordatis piisque omnibus apparere, persuassimum mihi est. Ego sane - non desisto vice cotis fungi &c. Nec a fanaticismo multis in locis abest, et si videtur alibi reperiundis rationibus eximiam dare operam, praecipue in eo loco, quo de *Satisfactione et iustitia dei infinita solent nostri similiter ita praeccipere*, ut rei *λογισμος* consequentur; quod, ut verum fatetur, auctoribus quidem suis facile placet, ad huius autem disciplinae aduersarios transferri vix feliciter poterit. Adeo domestica ista studia ad rem, quam nos tam facile perspicimus, *Socinianis* persuadendam, (*a priori* solent dicere,) parum aut nihil quicquam ad hanc usque aetatem profuerunt; nostris autem ciuibus consuetudinem quidem contrahunt, copiose disputandi; sed religiosi iustum usum non praecipue adiuuant. Sed subfanatica *Socini* ista e. c. sunt; Epist. ad *Eliam Arcissenium*: magistratum gerere licet; fontes capite plectere aut membris mutilare, vix arbitror ullo modo per christianam charitatem licere. — De bello - statuo, non concedi christiano, quemquam etiam per occasionem propulsandi belli, interficere, magistratu licet supremo id ut fiat iubente - de vestitu non crediderim admodum exquisite laborandum esse; - qui igitur volunt in Polonia, non licere femine pileo *ex Axamit* confecho uti, vehementer falluntur - - ad eundem. Distinctio ecclesiae *visibilis* et *invisibilis* mihi valde probatur. Aliud est *verbum diuinum interius*, quo mouemur, ut ea faciamus, quae *iusta* esse censemus, et vitemus iniusta; et aliud *lumen* illud diuinum, quod pertinet ad notitiam eorum, quae deo placent aut displicent; atqui non quicquid deo placet, id etiam cuique homini iustum videtur. Multa interscriptio-

scriptiones *Socini*, in bibliotheca fratrum *Polono-*
rum bis excusa sunt; e. c. contra *Chiliaetas* To-
mo 1. p. 440. et tomo 2. p. 457 seq. ibi tamen,
quam hic, auctiora sunt aliquot locis. Tom. 2. ad
M. Radecium epistola 3. p. 380. seq. et tomo 2.
eodem pag. 347 seq. &c. Dedit autem *Socinus*
hic ibi etiam aliquid Pontificis; e. c. *Respons.*
ad 8 caput V'iecki classis 3. Argum. 13. tomo 2.
p. 594: liquido appetat, Christum *in caelo offer-*
re et ibi sacerdotis munus exequi, idque in perpe-
tuum. Haec si animaduersa fuissent, *nec caeteri,*
qui ab ecclesia romana defecerunt, negassent
pontificis, ipsam Christi oblationem adhuc durare,
seu Christum adhuc expiatorium sacrificium of-
ferre; nec Pontificii missam suam, vbi in terra
pro peccatis Christus offerat, stabilire ausi fuissent.
Ruit funditus missa ista: si intelligatur, Christi
oblationem expiatoriam pro peccatis nostris prae-
sentatione, ut sic dixerim, sui ipsius coram deo
in caelo; seu pro nobis ibi in dei conspectu appa-
ritione, omnino contineri &c. ista sunt satis fana-
tica. Atque non omnino alienum est, ab hoc
loco, quod iam Andreas Fricius Modreuius ob-
sernauit, lib. 4. de republica emendanda, qui in-
scribitur, de ecclesia, cap. XI. de Iustificatione:
auctores confessionis Petricouensis cap. 34, im-
pugnatores imputatiuae iustitiae, tamen concedere
Christi passionem et satisfactionem nobis impu-
tari &c. Ceterum non opus est pluribus comme-
morare, multos Socinianos scriptores ab ipsius
Socini disciplina, tam in interpretatione SS.
quam in decretis quibusdam definiendis, non parum
differre.

§. XXVII.

§. XXVII.

De Iesuitis.

Non omittenda sunt *Iesuitarum* studia, inde a fine huius seculi minime obscura in rem romanam restituentam, quae *Protestantium*, *Socinianorum* aliorumque hominum, sive ratione sua, sive probitate et subfanatica religione vtentium, hac in re coniunctis copiis, non parum concussa fuerat. Cum monachorum plerorumque existimatio fere nulla amplius esset, quarumdam autem familiarum contemptus fere publicus vix prohiberi posset: successit, quae a paruis initii, vehementer et feliciter excreuit, *Ignatio Loiola* auctore, *Iesuitarum* noua societas: quae romani episcopi honori atque auctoritati vnice dicata fuit. *Nostrum* iam non est, ingentem historiam, caussis maximis negotiisque et atrocibus et turpibus et infandis non minus diuitem, quam eruditissimorum hominum nouis exemplis celeberrimam, vel breuiter recensere, aut domesticas insignes artes et regulas quasi fatales, quibus tam ingentes et fere incredibiles successus deberi videntur, commemorare; sufficit nobis, istis defensoribus rem christianam ingenuam non egere, licet *Romana* iis carere nec hodie possit, quantumuis parum fidis Papae certisque ministeriis. Postquam fundamenta exiguae rei in *Italia* videbantur satis coahuisse, in *Hispaniam*, *Lusitaniamque*, sub seculi medium, societas translata est; in *Gallia Claramontanus* episcopus primus fere sautor publicus exstitit; *Sorbona* autem *Iesuitis* fortiter obstitit, sententia publice lata 1554, calend. decembris: haec societas videtur in negotio fidei, periculosa; pacis ecclesiasticae perturbativa; monasticae religionis euersiva, et magis ad destructionem, quam ad aedificationem; quae sententia, cum Apostolico romano decreto, *Pauli III.* praecipue, satis contraria

ria esset, mirum non est, eam nec *Italis* nec *Hispanis* placuisse. Sed quicquid viri prudentes et rei publicae fauentes statuerent, Protestantium facilius opprimendorum caussa tandem *Iesuitae* utilissimi videbantur; induere enim facile poterant istam speciem, ut domestica consilia, longe ampliora, *Hispanis* certe praecipue fauentia, tegerent. Praeterimus iam maxime frugiferam salubremque historiae hanc partem, quae *Iesuitarum* res in *Gallia* complectitur, seculo adhuc isto 16; nec attingo varias voluntates in *Polonia*, cum a Stephano Bathorio *Iesuitae* fuerentur; paucis repeto illud, *Viennae* primum *Iesitarum* collegium a Ferdinandō post seculum medium constructum fuisse; inde *Ingolstadii*, *Monachii* &c. per Germaniam locum stabilem et non obscuros fautores, religionis promouendae causa, inuenierunt. Nec est insitiandum, *Iesitarum* non defuisse luculenta in rem *romananam* merita; exsisterunt eruditissimi non pauci homines, quorum diligentiae multum debent scientiae plures. Ad *Theologiam* autem ita numero non pauci ex illis accesserunt, vt nouo certaminis quasi genere vti instituerint, et subtilior illa reperiendi et comminiscendi consuetudo iam ingenia longe magis exercuerit, quam fere antea fieri solebat. *Commentarii* in SS; *editiones* multorum veterum scriptorum ecclesiasticorum; libri longo numero contra *Protestantes* et *Socinianos*, ea indole atque natura, vt non parum obscurata fuisse videretur hac noua peritia christiana religionis ista, quae a Protestantibus suscepta fuerat, emendatio. Videbatur certe non sine insigni specie defendi posse *romanae* religionis schema; multitudine certe Syllogismorum, collectionum, auctoritatum, exemplorum; quae rei gerendae ratio omnino non parum proficere poterat apud eos, qui, ne in dubio quasi animus esset,

huc

hoc atque illuc impellendus, multitudine et sociorum numero veritatis momentum metiri solent, atque sic sedula et studiosa mentis sollicitudine facile carent. Scimus autem res ita tulisse, ut liberalior theologica eruditio fere iacuerit inde ab isto tempore, etiam inter nostros; qui iam continuis libris scriptiōibusque *Iesuitarum* reponebant, dogmatibus cunctis repetendis et confirmandis dediti; de re autem *ecclesiastica* vetustiori, de liberali religionis internae indole iusto sere minus solliciti, qua tamen una ratione, ingenua prudentia colligitur, et conflictae religionis et infucatae vis omnis facile infringitur. Interuenierunt autem *Augustinianae* controuersiae, inter ipsos Romanos, cum *Michael Bainus*, *Louaniensis* doctor, informaret docendi rationem paulo meliorem, quam esse solebat vulgaris illa scholarum; qua ratione *Iesuitae* sibi minus laudis superaturum facile intelligebant, itaque apud Romanos pontifices contra *Augustinum* diligenter egerunt. Similiter paulo post *Louanienses* et *Duacenses* Theologi de *praedestinatione* ex Augustini sententia contra *Iesuitas* Louanienses statuerunt, inde ab anno 1587. 1588. Hoc eodem anno prodiit *Ludouici Molinae*, a quo *Molinistas* solent nominare, *liberi arbitrii concordia cum gratiae donis, diuina praescientia, prouidentia, praedestinatione et reprobatione*: qua opera, cum *Augustinus*, *Thomas*, *quinas*, et *visitata romana doctrina*, (quam *Semipelagianam* ceteri solebant dicere,) quasi consociari viderentur, non desuit nouarum litium materia; nec enim *romanis* cunctis magis placebat ista confessio, quam Protestantibus. *Congregationes* certe de *auxiliis gratiae*, quae iam sub ipsum seculi finem *Romae*, Papae iussu, instituae fuerunt, nec secundum *Dominicanos* et *Thomistas*, nec secundum *Iesuitas*, sententiam

tentiam ferre ausae sunt; vt indignationi adeo locus non desit, si infidarum scriptionum, artiumque et fraudum monumenta quis oculis usurparit, quae in *Historia congregationum*, *Hyacintho Serrio* auctore, (seu *Augustino le Blanc*, qui *Dominicanorum* partes egit; quas et *Thomas de Lemos*, dominicanus strenue ornauit, in *actis congregacionum et disputationum*, quae coram *Clemente VIII*, et *Paulo V.* de auxiliis diuinae gratiae sunt celebrae;) et in *Historia controveneriarum de diuinae gratiae auxiliis*, *Theod. Eleutherio* auctore; (seu *Liuino de Meyer*, qui *Iesuitas* defendit,) Nempe, quid tandem ingenuae vtilitatis ad virtutem christianam attulisse putamus ab *Augustino* inuentas disputationes, de *gratia?* His vepribus et spinis Apostoli, credo, dei illam gratiam inuoluebant, quam ad homines omnes commendant? Sed his igitur similibusque mysteriis, aut dogmatibus fundamentalibus, si placent, tantum et temporis et studii et operaे impensum fuit, tot per secula; quarum subtilitatum auctores vel *Academicos* et *Pyrrhonios* omnes superent. Quis autem vel legere cuncta ista queat atque satis intelligere? Tantum abest, vt ad religionis sanae profectum atque adiumentum studiosissimis talibus nugis vti aliquis possit. Si cui vel sola illa cauſa, quae inuenustu metu *Pelagianismi*, tantum aut fanaticae cuiusdam indolis, aut ancipitis malignitatis in rem christianam intulit, non sufficiat, ad excitandam mentem: coniungat, rogo, funestissimam illam foedam barbariem et religiosam atrocitatem, quae per hoc seculum tot *martyrum* millia immanissimis suppliciis confecit; homines probissimos, sed ab ista fatali gratia, si placet, alienos: qua se impelli sancti isti judices sentiebant. Rapaces lupos Christus informauit, ouina pelle, sanctitatis summae symbolo, tectos; doctorum, mille myste-

II. Lib.

M

ria

ria crepantium, opera et fructus nos iussit considerare; et nos non solum audire et releggere falsae atque truculentae religionis miracula operae pretium esse putemus, sed etiam magna sedulitate, ut satis intelligamus ista crepundia, vtemur? Nempe apostolicae indolis, et diuinae naturae adhuc instar inesse statuemus istis decretis, quibus suadentibus iubentibusque quotidie tot innocentes homines per immanissimam atrocitatem lento igne combusti sunt, spectantibus et laetantibus sacrarum rerum dominis; viuae tot mulieres a monachis et sacerdotibus defossae; innumeri homines, (homines, quos christianos omnes dicebant,) pedibus, manibus mutilati; in squalore foedissimorum carcerum necati; sed quis tandem elogia digna reperiat hanc seculi tyrannie? cum ne a Scythis quidem, gentibusque immanitate barbaris possint execrabilis eius feritatis exempla repeti! Iam vero facile intelligimus, quanto beneficio deus miseris mortales affecerit, quod litterarum studia tandem reuixerunt feliciter; quorum vim caelestem atque inuictam turpis illa barbaries ferre et sustinere non potuit. Hic nihil diuini atque benefici qui inueniunt, qui non sentiunt, qui inde ex his faustis rerum mutationibus, non sapiunt, atque quid sit humano generi salubre atque frugiferum, non reperiunt; qui magni non faciunt liberaliem eruditionem, cuius vnius ministerio deus ad restituendam religionem christianam ingenuam et sanam usus est: hi igitur, haud scio, quomodo et favere christianae omni rei velint, et de religionis iusto usu bene mereri aliquem posse statuant.

§. XXVIII.

Conclusio. Iam finis huic secundo libro faciendus est; cuius opinor esse eam indolem, ut, si quis animum recte aduertat, satis intelligere queat, magni ea esse, quae

quae breuiter recensuimus, momenti. A paruis enim initii successisse publicorum sacrorum emendationem; bonarum artium, liberalis animi et ingenuae industriae adiumento; fuisse inde a primordiis vim non exiguum auitarum opinionum; sed nec prosperos defuisse successus, crescentibus bonis litterarum studiis; a quibus, vt fuerunt quidam longius alieni, ita immoderati atque infasti extiterunt religionis sive auitae defensores, sive emendandae eius ministri. Neque vero *Lutherus, Melanchthon* atque optimi quique viri, vno quasi impetu repererunt cuncta optima subsidia et doctrinarum salubrium argumenta; praecipua studia ab initio rei aduersus apertam Romanorum eius temporis tyrannidem, aduersus crassos errores, abususque destinatos, fuerunt collata; deinde, vt res se dabant, atque aut postulare quaedam eius temporis necessitas, aut secum ferre videbatur noua opportunitas, iam aduersus alios etiam, communes licet rei romanae aduersarios, acies quasi instrui coepit, quibus vel aliquid loci et spatii concedi, a *Lutheri* praecipue sociis et statoribus, tam rei publicae non videbatur conuenire, vt fere eodem modo actum fuerit in istos, ac olim ipsi experiri solebamus. Contra quosdam autem non inepte romani imperii leges latae, vt nempe iam olim fieri solebat, a quibusdam Imperatoribus, (quos οἱ πολλοὶ solebant ideo diligentius laudare, quod religionis viua exempla numero multa non essent;) seculi certe quarti sub finem. Tum per prouinciarum leges peculiares receptae *publicae doctrinae* modus aliquis stabilis imperatus fuit; nec ius fas est, ab eo doctorem aliquem recedere, si eius rei causa fidem suam ipse dedit. Reete enim distinguitur illa causa, quae pertinet ad *publicae religionis* et *doctrinae* modum, (quo sacrae societates non minus ab aliis seiunguntur, intercedente Ma-

gistratus summi voluntate, ac legum corpusculo
 vario ciuilis quaedam societas solet ab aliis sciungi;) a priuatorum studiis sacris, quae profecto pestiferum esset noua semper et cruda sic proferri, vt diversae et contrariae sententiae personent publicae, quae religionem externam et publicam omnino non conturbare atque non peruertere non possint. Sed et illud esset ineptum atque inficetum, mentis animique exercitiis, si quis iis deditus ipse sit, adeo imperitare velle, vt percipiendi intelligendique et arbitrandi modus alicui proprius, atque domesticus quasi sensus, omnino prohibeatur; quod tamen ipsum, si maxime velimus, fieri nulla ratione potest, ad impediendam autem atque peruertendam religionis internae vim et indolem iustam multum semper fecit. Itaque hoc quidem modo sacrarum rerum ministri publici suae prouinciae non satisfaciunt, si fidei quasi memoriae tantum commendant publicae doctrinae illud compendium, atque bonarum sententiarum auitam aut patriam collectionem semper recitent: cum haec prudentiae istius pars tantum eo pertinuerit, vt ne publicae contentiones atque prava populi studia quasi in scenam reducantur. Mirum enim non est decem, viginti, triginta, et plures numero per annos tandem vel e plebe non paucos adsuescere legitimis istis loquendi formulis, atque plaudere sibi ipsis de ista praestantia, quod nec sanctos inuocet, aut panem sacrum publici itineris honore non adficiat; nec *Socini Anabaptistarumque* de familia nati sint, nec praedestinationis metu angantur, aut in sacra caena spirituales tantum et egentiores coniuiae adscit, &c. Implebitur adeo vel populi pars numero maior, quasi sacro impetu, sensu atque instinctu, vt, si res ferant, baculis, furcis, gladiis religionis integritatem istam defensum eat, laedere etiam aliarum partium homines, officiis

officij certe humanis in eos plane deesse, non solum peccati in loco non habeat, sed vel probitatis in deum et iusti zeli ingenua documenta reputet. Quid autem his institutis ad hominum ingeniam perfectionem, felicitatem communem, deique honorem, aliis adeo gentibus persuadendum, vel multos per annos, accessisse putabimus? Ista enim simili ratione, et romanorum olim fatalia in haereticos arma, et Iudeorum frequentem aduersus dominos rebellioninem, non excusabimus solum sed etiam, quasi rem deo gratissimam, commendabimus. Itaque, licet veritatis sit illud decus, quod vnica sit, nec contrariae sententiae verae ad nos simul esse possint: scire nos oportet, veritatis non vnam esse apud omnes cognitionem; homines saepe falsum eodem prosequi studio, ac verum, non ex destinata mentis malignitate; atque nisi ista studia rem et statum publicum perturbent, libera sunt cunctis; nemini autem ita propria, vt pati nolit, alios sentire de iisdem rebus aliter, quam ipse sibi statuendum esse intelligit. Hoc amore in omnes communi, plenos esse oportet christianos, qui sanam et veram Christi doctrinam se profiteri, Christi etiam exemplum et mores imitari gloriantur; hic etsi recte unusquisque gaudet, si sibi ex veritatis frugiferae haereditate plus quasi obtigisse statuat, quam aliis; odio tamen hos prosequi non conuenit, si maxime sint ex eorum numero, quibus olim funesta ecclesiasticorum caerimoniâ solebat anathema dici. Expertes sunt publicorum societatis ecclesiasticae eorum iurium, quae sunt priua et propria huic societati, cui prae aliis fauet princeps; sed nec Christi expertes sunt, quem et ipsi sive doctorem, sive quaenam ratione, auctorem perennis salutis adamant; nec virtutis sunt expertes, qua solent non raro multos alios vincere. Non sunt itaque sic com-

miscenda iura ecclesiastica publica, ut studiorum illa liberalitate nos careamus; qua, si maxime nostros et domesticos ciues non contingeret nouis quasi afficere beneficiis, quod tamen omnino fieri facile intelligimus; multum tamen adiumenti confertur ad frangendam istam barbariem atque perueritatem, qua videmus alios adhuc sive clarius sive tectius duci. Quo felicius autem ad plures homines animi proferri potest liberalis indoles; quo longius a superstitione recedunt, et mente ipsi complecti audent sententias, earumque salubrem usum: eo certius aberunt barbarica religionis defendendae ministeria; eo minus locum vis habebit; eo minus latere poterunt consilia et studia iniusta atque illiberalia, quae a pessimo quoque homine possunt facile cum religionis quadam specie coniungi.

Finis libri secundi.



Ia 1622

512

ULB Halle
005 217 121

3



Sh

m.c.




D. IO. SAL. SEMLERI
INSTITVTIO BREVIOR

AD
LIBERALEM ERVDITIONEM
THEOLOGICAM.

LIBER SECUNDVS.



100mm



xrite

colorchecker CLASSIC